


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
26 B
24



SVMMA PHILOSOPHIÆ

Rationalis
Naturalis
Moralis
Supra-Naturalis

Authore

R.P. RAYMVNDO
MAILHAT ORDINIS
Præd. Conuentus
S. THOMÆ
Aquinatis
Tolosani.





COLONIÆ,
Sumptibus
IOANNIS BUSAEI,
M.DC.LXIV.

3 rt

SVMMA PHILOSOPHIÆ


Authore

R.P. RAYMUNDO MAILHAT
Ordinis Prædicatorum, Conventus
S. THOMÆ *Aquinatis*
Tolosani.

TOMVS I.



Logicam Parvam & magnam complectens.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM
Bibliopolam Anno 1664.



ADMODUM REVERENDO & Eximio Patri Fr.

IOANNI FRANSENS

ORDINIS PRÆ-

dicatorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctori & Professori, totius Provinciæ Teutonicæ ejusdem Ordinis Provinciali dignissimo, Patri & Patrono Colendissimo *&c.*

Adm. Rev. Exim. & Dign. Pater.



Apientissimè & verissimè pronuntiatũ est ab Ecclesiastico, *Sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in*

utrisque; Quapropter ingen. eruditione præcellentes Viri, studiosissimè in eo collocandam operam suam utiliter sunt arbitrati, si ex thesauris Sapientiæ suæ quicquam posteritati profuturum, largiter erogarent: de quo cordatè & generosè Seneca ad Lucilium amicum suum, *Ego* inquit, *cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam; nec me ulla res delectabit, licet eximia sit, & salutaris, quam mihi uni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapientia ut illam inclusam teneam nec enunciem, reiiciam.*

Præclaram profectò vocem, & suo dignam Authore, qui egregiam suppellectilem, sapientiam scilicet & doctrinam, quam importuno labore perdidicerat, gaudet in alios ingenua liberalitate transfundere. Mirarer equidem audax prudentis Viri paradoxon,

nisi

nisi experientia edoceremur, nihil frustra in hac mundi machina fieri, nihil videri, cui non sit certa finis & officii ratio insita, & vis propagandi sui latius. Nec abs re in naturalium rerum consideratione miramur suos cuique motus, sua cuique officia dispensata esse. Elementa miram harmoniam orbis constituunt, & corporibus hominum suas largiuntur opes, fovent, nutriunt, temperant. Adeò nihil est, cui non sint suæ in ordine rerum vices, quod non vehementer ab otio abhorreat, Immò etiam videmus fruticum, & cujusvis feracis plantulæ conditionem, ut nisi iis quos ediderint uberes partus, nudari contigerit, in vindictam Domini parcentis, statim steiilescant. Ecce igitur! unde sapientiæ & bonarum lit-

terarum ſtudioſus homo ſibi ſoli didiciſſe contentus non ſit, ſed pretioſas doctrinarum margaritas communicaturus accipiat. De Doctore Angelico, & Ecclesiæ, ſolemniter concinit Eccleſia, ab ipſa Sapientia increata fundata, doctrinam ejuſdem iterum iterumque approbante (*Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem recipies?*) *Ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & palam faciet diſciplinam doctrinæ eius: collaudabunt multi ſapientiam eius, & uſque in ſeculum non delebitur.* Sanè Doctrina ſancti Thomæ immortalitatis ſtatum in ſancta Dei Eccleſia conſecuta fuit, & divinam celſitudinem adepta. Hinc fit ut meo judicio in primis honoris ſubſelliis in hoc ampliſſimo Orbis theatro collocandi ſint, qui ſuis laboribus & lucubrationibus,

bus, & acutissimis Commentariis eandem illustrarunt, Ecclesiæque ærarium cumulatissimè ditarunt, quorum præclaris conatibus provehendis, quidquid fortunarum summa Dei liberalitas mihi concessit, libenter devovi; Cùm enim negotiationi Librariæ vitæ meæ & operæ studium consecraverim, Spartam quam semel nactus sum ornare volui, studiorum incrementa pro viribus amplificare, Adolescentum profectui opportunè consulere, ad communem utilitatem juxta meæ conditionis mensuram, hanc, R. P. RAYMUNDI MAILHAT *in Vniversitate Tholosana Professoris totius Philosophiæ Summam*, utpote quæ universalem, necessariam notitiam optimo ordine complecteretur, typographicis formulis in nostra chara
 matre.

matre Germania, à bellis nonnihil respirante, exprimere statui. Debebam hoc Celeberrimarum Familiarum Religiosarum Benedictinorum, Cistercienfium, Præmonstratensium, Prædicatorum, aliorumque Ordinum Alumnis, Gymnasiorum Professoribus, & Studiosis qui cupidissimè eam recusionem exoptabant, & crebris petitionibus flagitabant. Experti nimirum erant illum Authorem esse quendam ceu dexterum Mercurium, qui scientiarum acquirendarum, præsertim sacræ Theologiæ juxta mentem S. THOMÆ avidum, in planam, facilem & securam semitam deducat, à fluctuationis deviis præservet, ad munitissimam & excelsam sapientiæ Thomisticæ Arcem, & penitissimos recessus evehat.

Hæc

Hæc verò mea Editio adcò ſtudiosè quæſita, ſuo ingenio geſtit in Tuum ſinum convolare, in quo veluti centro conquieſcat, quaſi nuſquam illa melius & tutius eſſe poſſit. Sanè ſi ſacra ſcientiarum adyta pandat, & firmiſſima clauſtra reſeret, ad Te ire debuit, qui in Prædicatorum Ordine & in Antiqua & Auguſta Vniverſitate Viennenſi Lauream Magiſtralem gloriosè reportaſti, in Generali ejuſdem florentiſſimo ſtudio, Primarij Moderatoris (quem Regentem vocant) vices, magno cum fructu obiviſti, & nunc in Vniverſa Teutonia Provincialis Dignitatem ampliſſimè ſuſtines, & omnibus numeris abſolutiſſimè exequeris. Ad hanc præterea meam tenuem gratitudinis ſignifica-

ficationem, jurè me impulit nuper Coloniæ mihi largiter impensa *Tua Humanitas*, rara comitas, & ad amicitiæ jura communicanda, præstita prolixè benevolentia. Quod si istam meam Opellam *Tibi* gratam, Docentibus & Discentibus commodam & utilem esse animadvertero, post hujus Galli Scriptoris præsentem recusionem, perspicuæ brevitatis, æquè ac fœcundæ, fidelem Theologiæ Thomisticæ Universæ Expositorem Hispanum, propediem me evulgaturum promitto, ut quemadmodum hoc tempore utriusq; regni potentissimi Monarchæ, applaudente tota ferè Europa, in desideratissimæ Pacis, arctissima Fœdera cojere: ita illi, in Academiarum pluteis, incontaminatam S. Thomæ sapientiam latissimè propagent, & eliquatum ex

Sum-

Summa syncerum & impermixtum succum, junctis Operis, affatim diffundant. Ita voveo, & Deũ obnixè rogo, ut Dignitatem Tuã diutissimè servet incolumem; ad sacri Ordinis decus, incrementum, religionis & studiorum amplificationem exoptatissimam. Coloniæ ex mea Officina sub Signo Vnicorni anno 1660. 29. Iunii.

Adm. Reverendæ Exim. & Dignissimæ Paternitatis Tuæ

Devinctissimus

IOANNES BUSÆUS Civis & Bibliopola Colonien.

S. THOMÆ AQUINATIS Opusculum 61, continens Epist. Exhortatoriam ad quendam, in qua proponit idoneum modum salubriter acquirendi Scientiam, sive humanam, sive Divinam.



Via quæsivisti à me, in Christo mihi Charissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in Thesauro Scientiæ acquirendo, tale à me tibi super hoc traditur Consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire; quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea & instructio tua. Tardiloquum te esse jubeo, & tardè ad locutorium accedentem consi-

conscientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, Cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci, omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat, & de verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. discursus supra omnia fugias, sanctorum & bonorum imitari vestigia non omittas, non respicias à quo audias, sed quidquid boni dicatur, memoriæ recommenda, ea quæ legis & audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam habueris proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas. Ita D. Thomas opusc. 68.

ORATIO



ORATIO S. THOMÆ AQVINATIS ANTE STUDIA.



REATOR ineffabilis, qui de thesauris Sapientiæ Tuæ tres Angelorum Hierarchias condidisti, & eas super cœlum empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissimè partes Vniversi distribuisti, Tu, inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplices à me removens tenebras, peccatum scilicet, & ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, addiscendi facili-

tatem,

tatem, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.



Licentia Reverendissimi Magistri Generalis Ordinis.

NOs Fr. Joan. Bap. de Marinis Sa. Theologiæ Professor, Ordinisque FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis & servus.

Harum serie nostrique authoritate Officii tibi R. P. F. Raymundo Mailhat in Sacra Theologia Professori in Conventu nostro Tolosano licentiam facimus & facultatem, publicis typis vulgãdi Brevem Cursum Philosophicum quem composuisti, modò prius à quatuor in sacra Theologia Magistris aut Professoribus Ordinis nostri approbetur, serventurque juxta decreta Summorum Pontificum, Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, Constitutionum nostrarum & Capitulorum nostrorum generalium, servanda. In quorum fidẽ his Officii nostri sigillo munitis propria manu subscripsimus. Dat, Romæ die 13. Martii an. Domini 1651,

Fr. Io. Bap. de Marinis
Magister Ordinis.

Mandato

MAndato Reverendissimi Patris Magistri Generalis. Nos infrascripti Sacræ Theologiæ Professores hunc Philosophiæ Cursum legimus, quem testamur non solum fidei Catholicæ probisque moribus in omnibus convenire, sed etiam ubique Sanctissimi Doctoris mentem assequi. Itaque ut verum doctrinæ Thomisticæ partum, omnibusque veritatis studiosis utilissimum probamus & luce dignum censemus. Datum Tolosæ die 20. Julii anni 1651.

F. VINCENTIUS BARON Prior Convent. Tol. Ord. Præd. & Theologiæ Prof.

F. JOA. FRAN. DUFAUR Theol. Lector.

F. MARTINUS BOESSES Sacræ Theologiæ Lector.

F. DOMINICUS MAILHOS Lector Theologiæ.

Nos

NOs infrascripti Academiæ Tolosanæ Doctores Regentes fidem facimus legisse librum cui titulus est *Summa Philosophiæ &c.* in quo omnia accuratè & dilucidè pertractata, nihil verò fidei aut probis moribus repugnans invenimus, Tolosæ die 24. Julii anno 1651.

F. SIMPLICIANUS Professor Regius Augustinianus.

F. JOA. GELEDE Regens Conventualis Ord. Præd.

F. PETRUS BERGUES Regens Conventualis Augustinianus.

CENSVRA ORDINARII.

SUmmam Philosophiæ Thomisticæ, Auctore A. R. P. RAYMUNDO MAILHAT Ordin. Prædicat. à pluribus mirè laudatam typis committi permittimus. Coloniæ 4. Aug. 1660.

ADRIANUS de WALENBURG
Metrop. Eccl. Colon. Presb. Can.
& Censor Libr. Ordin.

Summa

SUmma hæc Philoſophiæ Thomiſticæ atque adeò Peripateticæ, ſcripta breviter dilucidè, & ſolidè à R. P. Raymundo Mailhat Ordinis Prædic. poteſt in lucem edi. Datum Toloſæ die 29. Septembris, 1651.

Fr. JOAN. DOMINICUS Regius Inquiſitor Toloſanus.



VIſis approbationibus Doctorum, permittimus, ut hæc Philoſophia in lucem edatur. Datum Toloſæ 29. Sept. 1651.

CAUMELS Vic. gen, FLOUS Vic. gen. DE LAFONT Vic. gen.

AP-



APPROBATIO.

SVmmam hanc Philosophiæ R. P. Raymundi Mailhat Ordinis Præd. cum voluptate studiosè perlegi. in qua nihil Catholicæ Fidei aut bonis moribus contrarium reperi, quin potius ad docentium & discentium profectum plurimum profuturam, veluti planam ad Sacram Theologiam Isagogen arbitror, ideoque à multis desideratam prælo dignam existimo. Coloniæ ex Conventu FF. Præd. Anno 1660, 29. Iulii.

Fr. NICOLAUS HAUSTADT,
Ord. Præd. S. Theol. Doctor, & Professor, Inquisitor Apostolicus, m.p.

In

IN SUMMÆ COMMENDATIONEM

EPIGRAMMA I.

ISta, Stagiræo ſelecta è rore, *medulla*,
Prælibat ſanis, Attica mella, Sophis.
Erutns ille, Thomæ, rara nuce, *nucleus* arte,
Hoc genuina ſuo labra ſapore bear.
Hic Sophiæ eſt *clypeus*, contraria tela retundens.
Sic Liber, arma, cibus, protegit & reficit.

Præfixit HENRICUS SMITZ *Marcko-Svvelmenſis*,
In Academia Colon. Gymnaſii Montis Rhetor. Profeſſor,


EPIGRAM.

EPIGRAMMA II.


SVb Nucis exiguum quondã *velamen*, Homeri,
Dædalius Scriptor ſtrinxerat Iliada.
Tantillo MAILHAT nunc ecce *volumine*, totam
Et Sophiam, & Magnum clauſit Ariſtotelem.

Apponebat JOANNES HAYMANS *Gelrienſis*,
Syntaxeos ejuſdem Gymnaſii Profeſſor.

INDEX



PHYSICÆ PROOEMIVM.



PHYSICA, à Græco φυσικὴ, idem sonat ac naturalis (subaudi) Philosophia: quæ est secunda pars subjectiva aut species sub ratione illa generica philosophiæ contenta, juxta ea quæ in præfatione totius cursus diximus, quæ hic necessariò recolenda sunt. Dicitur vero naturalis facultas hæc, eo quòd de naturalibus rebus seu de ente naturali tanquam de proprio objecto aut subjecto disserat. Verùm circa hoc sit.

PROLEGOMENON I.

De Objecto Physicæ.

OBJECTUM *formale & adæquatum Physicæ variè assignant auctores, alii*

enim assignant *ens naturale*, alii *ens mobile*, alii *substantiam aut corpus naturale*, alii *corpus mobile*. Et est sermo ut constat de objecto *quod* seu de ratione formali *qua* per se primò consideratur à Physica. objectum enim *quo*, sive ratio formalis *sub qua* rationem illam *qua* aut objectum *quod* attingit, *est tùm abstractio ipsius à materia singulari, tum ipsa ejus definitio aut medium, vel principium per quod de ipso demonstrat proprietates*, sicut in Metaphysica explicabitur, dum de unitate scientiarum. Pro resolutione autem quæstionis.

Adverte naturale & mobile pro eodem reipsa in proposito usurpari. Naturale enim, ut hic sumitur, *idem est ac constans natura*, sumendo naturam prout à Physicis accipitur & definitur. *Principium radicale motus & quietis*, atque adeò naturale in præsenti idem est ac illud *quod in se habet principium radicale sui motus*, quod idem significat ly *mobile*, non enim mobile usurpatur hic prout importat mobilitatem proximam: *sed radicalem duntaxat*, *seu principium remotum & radicale ipsius motus*, ad quod se habet mobilitas proxima, aut immediata ad motum aptitudo, sicut proprietas ad essentiam quam consequitur. Hoc præsupposito.

Dico 1. *Objectum formale & adæquatum Physicæ esse ens mobile*.

Probatur: Objectum formale cujuslibet scien-

XV

ientiæ aut facultatis dicitur, quod per se nsideratur ab illa; adæquatum seu totale, od omnia comprehendit de quibus in ea r se & ratione sui disputatur, atqui ens mo. e ut sic habet utramq; conditionem respe- ı Physices, ergò *Probatur minor*, Quidquid m per se cōsideratur à Physica, aut de quo illa disputatur per se & ratione sui, est vel bile in communi, abstrahendo ab omni cie determinata motus, ut in prima parte, mobile aliquod in particulari, ut in reli- is partibus; putà motu locali, in secunda, tu generationis aut corruptionis, in ter- , vitali, in quarta & ultima: ergò mobile sic, prout dicitur de his omnibus veluti speciebus, est quod per se consideratur à ysica, quodque omnia de quibus per se a- ur in illa, comprehendit. *Antecedens con- bit ex dicendis initio cujusque illarum qua- r partium in quas Physicam dividemus*, nsequentia verò est per se evidens.

Dico 2. *In re ipsa idem est assignare pro ob- o Physicæ ens naturale aut ens mobile, sub- ıtiam naturalem aut corpus mobile, vel na- ale, reliquis tamen convenientius assignatur mobile.*

Prima pars probatur: Ens naturale, ens bile, substantia naturalis, corpus na- ale aut mobile, idem significant quan- n ad rem: ergò idem planè erit in re ipsa gnare unum illorum ac aliud. *Probatur*

antecedens, gradus enim subalternatim positi pro eodem omninò sumuntur, si per eandem differentiam essentialem omnes contrahantur, ut patet in istis, ens rationale, substantia rationalis, Corpus rationale, Vivens rationale, Animal rationale; quæ idē in re ipsa significant, scilicet hominem: *&* *ratio est*, quia differentia illa essentialis non patitur hujusmodi gradus communes pro alio sumi, quàm pro illo cujus est differentia: atqui ens, substantia, corpus, sunt gradus subalternatim positi, ut per se patet, substantia enim continetur sub ente tanquam sub gradu imperfectè præciso, & corpus sub substantia, & contrahuntur ibi per eandem differentiam essentialem, scilicet per naturale aut mobile, quæ in proposito idem sunt, ut ex dictis initio prolegomeni cōstat, ergo ens naturale, substātia naturalis &c. idem significant quoad rem, atque ita præsens quæstio est magis de nomine quàm de re ipsa.

Secunda tamen pars ita suadetur: Illud convenientius assignatur & formalius objectum scientiæ, de quo ut tali demonstrantur proprietates in illa, atqui de ente mobili ut mobile est, non autem de ente naturali, de substantia aut corpore ut talibus demōstrātur per se primò proprietates in Physica, ergò: *Probatur minor*, proprietates enim Physicales sunt præcipuè motus ut sic, & species ejus, atqui motus ut sic per se pri-

mò &

ò & formaliter demonstratur de mobili in
mmuni, speciales vérò motus, puta loca-
, vitalis, & hujusmodi, de specialibus mo-
ibus à quibus dimanant, ergò *Probatur*
nor, nam demonstrantur illi motus per se
mò de suis subjectis propriis & adæquatis
: quæ formaliter definiuntur, sed motus ut
definitur per ens mobile in cõmuni, mo-
; verò speciales per ordinem ad specialia
obilia, motus enim ut sic definitur *actus*
is in potentia, prout in potentia, id est, *actus*
bilis, prout mobile est, similiter motus loca-
est actus entis localiter mobilis ut tale est:
sic de aliis: ergò.

Declaratur: Assignatur mobile potius quàm
turale, quia illud clarius exprimit proprium
adæquatum principium aut subjectum mo-
, quàm istud, Assignatur mobile conjunctum
i potius quàm corpori aut substantiæ, quia
tius est & magis indubitatum mobile esse ens
àm corpus vel substantiam.

Objicies 1. Proprium & formale objectum
od, est illud cui per se primò convenit ra-
o formalis, *sub qua* omnia considerantur à
entia, atqui esse principium motus, quæ
ratio sub qua Physicæ, convenit per se
imo corpori mobili, enti verò non nisi ra-
one corporis, ideò enim ens movetur quia
rpus mobile movetur, ergò corpus mobile
nvenientius assignatur.

Respondeo convenire etiam per se primò enti, non ut sic, de quo solo probat objectio *se* [*mo*]*bili*, quod ex alio capite potius assig[n]atur quàm corpus mobile, ut ostensum est.

Objicies 2. Esse mobile & quiescibile sunt propriæ passiones objecti Physices, cum cõstet natura quæ definitur principium motus & quietis, ergò debet assignari pro objecto illud quod est radix utriusque. sed ens mobile est radix motus tantùm non verò quietis, cui videtur potius repugnare, ergò non debet assignari illud, sed ens naturale vel substantia naturalis quæ important formaliter rationem naturæ, subindeq; principium & motus & quietis.

Respondeo ens mobile radicaliter esse principium motus & quietis, motus ut via, quietis ut termini ad quem motus tendit, nec sic ei repugnat aut opponitur.

PROLEGOMENON II.

De natura & quidditate Physica.

DICO 1. [Ph]*ysicam esse veram scientiam, atque ita rectè definiri per ordinem ad proprium objectum quod sit scientia entis mobilis, seu rerum naturalium*, quod reipsâ in idem recidit, juxta superius dicta.

Prima pars probatur: Omnis habitus aut facultas demonstrativè procedens est vera scien

scientia, sed Physica est talis, ut enim ex toto ipsius decursu constabit, plurimæ in singulis ejus partibus demonstrantur ab ipsa conclusiones, ergo

Secunda verò pars manifesta relinquitur ex dictis praecedenti prolegomeno, quælibet enim scientia est sui objecti scientia, seu scientifica cognitio, cùm ergò ibi ostēsum sit proprium Physicę objectum esse ens mobile, illudque reipsa coincidere cum ente naturali, aut aliis hujusmodi, consequens est, ut Physica, quæ vera scientia est, ut probavimus definiri debeat, scientia entis mobilis aut naturalis.

Objicies scientia est tantùm de necessariis & perpetuis, & quæ aliter se habere non possint, sed Physica non agit de rebus necessariis, & quæ aliter se habere non possint, ergò. *Probatur minor*, agit enim de ente mobili, ut nos asserimus, subindeque de rebus mutabilibus, ergò non de necessariis quæ immutabiles esse debent.

Respondeo concessa majore negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens: Agit de rebus illis *in actu exercito & quoad existentiam spectatis*, nego, *in actu signato & quoad sua prædicata essentialia vel proprias passiones*, cōcedo, sub hac autem ratione necessariæ sunt res illæ, tam enim necessariò cōveniunt enti mobili seu mutabili sua essentialia prædicata, ut propria nempe hoc quod est esse mutabile, aut habere principium motus, quàm

Deo esse immutabilem omninò & immotum.

Dico secundò Physicam esse scientiam speculativam.

Probatur, quia sistit in contemplatione sui objecti aut rerum naturalium, nec ex natura sua tendit ad aliquod opus extra intellectum, quod solum habet rationem praxeos, ut alias ostensum est, ergo.

Objicies. Medicina est scientia practica, & tamen vera pars Philosophiæ naturalis, cùm disserat de aliquo ente mobili, agit siquidem de corpore humano ut sanabili, hoc est, ut mobili ad sanitatem, ergò Physica non est speculativa saltem quoad omnes partes.

Respondeo, Medicinam quidem esse scientiam practicam, cum ordinetur ad opus, nēpe ad remedia applicanda aut præscribenda, *sed nego esse partem Physicæ quia nō agit de corpore, ut mobili per naturam, sed per artem, ad sanitatem.* Est ergò scientia distincta à Physica, ipsi tamen subalternata & ab ea essentialiter dependens, siquidem ab ea mutuatur sua principia, quæ sunt ipsius Physicæ conclusiones: unde dicitur *ibi incipere Medicus, ubi desinit Physicus, aut è contra. Quare non assentior iis qui rationem scientiæ denegant medicinæ, cùm procedat per principia certa, utpote in Physica demonstrata.*

PRO-

PROLEGOMENON III.

De partitione Physicæ.

DICO I. *Physicam rectè dividi in quatuor partes, quarum prima agit de ente mobili in communi: secunda de mobili motu locali, tertia motu generationis & corruptionis, quarta motu [illegible]ali,* ut jam prolegom. 1. insinuavimus. *Et [rat]io est evidens,* quia ut ait Aristoteles, sciẽtia [d]ividitur sicut res ipsæ de quibus pertractat, [ens] autẽ mobile ut sic, de quo uti de objecto [ad]æquato tractat Physica, in quatuor illa [par]tialia objecta dividitur. Et agitur primo [lo]co de ente mobili in cõmuni, posteà de ente [l]oco mobili, tum de ente generabili & cor[ru]ptibili, & ultimo de viventi, ut sic servetur [m]ethodus compositionis procedaturque ab [un]iversalioribus ad minus universalia. Quæ [ad] objecta singularum partium spectant, vi[de] initio cujusque earum exactius explicata.

Dices, Objectum totius facultatis non de[be]t coincidere cum objecto unius partis, sed [la]tius patere, sicut totum parte: atqui coinci[di]t in proposito si pro objecto primæ partis [as]signetur ens mobile in communi, illud e[ni]m est objectum adæquatum totius Physi[cæ]: ergò.


Respondeo negando minorem. aliter enim ens [m]obile ut sic, sive in communi dicitur objectum

totius Physicæ, aliter partis illius. Est enim objectum totius Physicæ prout est *totũ quoddã potentiale*, complectens omne omninò mobile tam in communi, quàm in particulari sũptum: *est verò objectum primæ partis, prout est totum actuale* importans solam rationem mobilis in communi, præscindensque ab omni mobili particulari, atq; ita minus latè patet quàm objectum totius scientiæ & sub illo continetur, ut constat.

Dico secundò Physicam nihilominus esse unã specie scientiam simplicemq; habitum & non ex pluribus partialibus compositum.

Probatur, quia omnia illa partialia objecta conveniunt in una ratione scibilis, ob unam rationem formalem sub qua attinguntur, *quæ est ratio entis mobilis à materia singulari abstracta*; & solum materialiter & in esse entis sunt diversa, ergò habent rationem unius simplicis specificativi scientiæ, quæ ab objecto in esse objecti seu in esse scibilis spectato, non verò in esse entis, specificatur; atq; ita erit una specie & simplex qualitas & non composita, quę erat secunda pars cõclusionis in libris de generatione amplius demonstrãda & explicanda, sicut & prior in Metaphysica.

PRIMA



PRIMA PARS PHYSICÆ.

De Ente naturali, aut mobili in communi.

SEU

De Physico auditu.

DE ente ergò naturali aut mobili in communi prout abstrahit ab omni specie determinata motus vel mobilis, agetur hic tanquam de proprio & peculiari objecto hujusce primæ partis seu librorum de physico auditu, ut prolegomeno Itimo præcedente dictum est. *Quod denuò cadetu.* :quia ut tale,& continetur sub ente mobili ut sic, ut etiam ibi explicuimus & continet sub se aut comprehendit omnia quæ in hac parte pertractantur, vel tanquam partes aut principia, ut materiam, formam & pri-

& privationem, omniave causarum genera, quæ hic explicantur; vel tanquam affectiones seu proprietates, ut motum & alia quæ ad ipsum spectant. Hanc verò partem complexus est octo libris Aristoteles, quos ideò de physico auditu seu de naturali auscultatione appellavit quòd, cum difficiliores sint aliis qui sequuntur, totiusque naturalis philosophiæ contineant fundamenta, majori studio & attentione audiendi sunt. Ut autē nos Philosophi vestigiis inhæreamus, sit



IN

XX



INDEX
TOMI PRIMI.

Pars I. * PRI-

INDEX

PRIMA PARS LOGICÆ PARVÆ.
De terminis.

Sectio I.

Sectio II.

SECUNDA PARS LOGICÆ PARVÆ.
De propositione.

Sectio I.

Sectio II.

TER-

TOMI PRIMI.

TERTIA PARS LOGICÆ PARVÆ.
De argumentatione.

Sectio I.

Sectio II.

Sectio III.

LOGICA MAGNA.

PRIMA PARS LOGICÆ.

IN ISAGOGEN PORPHYRII
de quinque universalibus.


DISPUTATIO I.

§. 3.

DISPUTATIO II.

LAUS DEO.





SUMMA PHILOSOPHIÆ,

PRÆFATIO.



PHILOSOPHIA, ut ab ipso nomine ordiamur, ex vi quidem & etymologia vocabuli, amorem seu studium sapientiæ significat, ex usu tamen communi pro ipsamet sapientia usurpatur. Est autem sapientia perfecta rerum scientia, hoc est cognitio earum per causas, (siquidem tunc censetur unaquæq; res perfectè sciri, ut docet Philosophus, cum cognoscitur per causam sive rationem propter quam est) atque ita si pro eodem accipiatur sapientiæ & philosophiæ nomen, hæc erit legitima Philosophiæ definitio: Philosophia est cognitio rerum per causas.

Verùm hoc modo paulò latius accipitur sapientia, atque adeo & philoso-

phia: pro cognitione scilicet rei seu entis per causas. qualescunque tandem, in qua latiori acceptione omnes sine dubio comprehendit scientias, siquidem omnes procedũt per causas seu principia suorũ objectorum, sive potius proprietatum quas de ipsis demonstrãt.

Strictius verò & magis propriè sumitur pro cognitione per causas non qualescumq; sed altiores & universaliores, sicq; adæquatè dividitur in Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Ethicam seu Moralem: nec complectitur alias disciplinas: quia scilicet prædictæ quatuor sunt quæ per universaliora principia procedunt, quippe quæ universaliora præ cæteris respiciunt objecta. Objectũ enim Metaphysicæ est ens in tota sua latitudine, ut ambit creatum & increatum: objectum Logicæ, ens rationis directivum operationum intellectus, seu secundæ intentiones, quæ tam latè patent quàm ens reale, quippe quę rebus omnibus ab intellectu applicantur: Ethicæ, ens morale seu ratio honesti aut turpis, boni vel mali, quam similiter omnia induunt in ordine ad voluntatem: Physicæ demum, ens naturale seu mobile quod res omnes corporeas comprehendit. Cæteræ verò disciplinæ, sicut objecta habent minus universalia (puta Mathematicæ, solam quantitatem, Geometria quidem continuam, Arithmetica verò discretam seu numerum) ita & principia habent magis limitata, quæ sunt ipsæ pro-

priæ


propriæ rationes & definitiones objectorum atque ita philosophiæ nomen & rationem minimè sibi vendicant, sicut Logica, Physica, Metaphysica & Moralis, quæ sub ea veluti species sub genere collocantur.

Sed adhuc sapientia, proindeque & Philosophia, strictissimè accipi potest pro cognitione rerum per altissimas causas & principia omnium universalissima: sub qua ratione soli Metaphysicæ, inter humanas scientias, competit nomen sapientiæ, unde etiam appellatur prima philosophia: quia scilicet per principia communissima entis ut sic, res omnes considerat, & inter eas causam primam & omnium altissimam, scilicet Deum, ut objectum principale contemplatur.

Inpræsentiarum verò sapientia sive philosophia nec omninò latè accipitur, prout comprehendit omnes disciplinas, nec omnino strictè, prout ejus ratio soli Metaphysicæ convenit, sed medio modo ut est cognitio entis per causas universaliores, & continet sub se quatuor illas facultates quæ Cursum philosophicum componunt, appellanturque interdum Artes, (unde & ipsa Philosophia solet Cursus Artium nuncupari,) non quod illæ sint propriè artes, cùm de singulis ostensuri simus in propriis locis ipsas esse veras scientias; sed quia habent quandam cum artibus similitudinem, in hoc positam, quòd sicut artes operationes externas circa propriam materiam dirigunt,

ita hæ ſcientiæ internas circa propria objecta quæ conſiderant. Et quamvis commune ſit omnibus ſcientiis dirigere operationes intellectus in ordine ad ſua objecta, atque ita omnes ob hanc cum artibus ſimilitudinem appellari poſſent lato modo loquendi artes, id tamen principaliter & veluti per Antonomaſiam convenit quatuor præfatis facultatibus, eo quod ipſæ dirigant mentem in ordine ad objecta longè univerſaliora ſub quibus objecta aliarum continentur. Vel melius dici poteſt philoſophicas facultates appellatas eſſe artes (præſertim à veteribus Philoſophis, qui artis partitionem in Dialecticam, Moralem doctrinam, Phyſiologiam & Metaphyſicam, maximè inter alias celebrarunt) ſumpto nomine artis latiſsimè pro omni habitu intellectus tam ſpeculativo quàm practico ad verum attingendum dirigente, ſub qua ratione definiebant artem Collectionem multarum de una re comprehenſionum ad finem aliquem utilem vitæ: hoc eſt, Comprehenſivum, ſive habitum comprehenſionum multarum veritatum ad eandem materiam objectam ſpectantium, atque ad bonum aliquod vitæ humanæ, ſaltem ad perfectionem ipſius intellectus, conducentium. Jam à prima hujus noſtri Curſus parte incipiamus, eam aliaſve ſequentes breviter ſimul ac dilucidè ſolidèque, Deo dante, pertractaturi.

A LOGI-



LOGICÆ PROOEMIUM.



OGICA *latinè, Græcè* λογικὴ *idem est ac Rationalis (supple) philosophia, seu scientia directiva rationis quæ græco vocabulo dicitur* λόγ⊕. Eadem appellatur Dia-[le]ctica à verbo item Græco διαλέγεσθαι id [est] differere seu disputare, unde Διαλεκτικὴ Dialectica idem sonat ac disputatoria ut dicam, id est, facultas tradens modum [dis]putandi (sub quo comprehenduntur mo[di] definiendi, dividendi, enuntiandi unum [de] alio, argumentandi, & hujusmodi:) un[de] cum non aliter quam per notitiam modi [dis]putandi hæc omnia comprehendentis [dir]igatur ratio nostra in suis operationibus, [ide]m erit facultas tradens modum disputan[di] ac facultas rationem dirigens, subinde-que

que idem in re ipsa significabit Dialectica quod Logica. Appellatur etiam facultas hæc Organum, eo quod ipsa veluti quodam instrumento ad reliquas scientias comparandas prorsus necessario (ut infra videbimus) utitur intellectus. Et verò ita necessaria est ad scientias adipiscendas Logica, ut cum ipsa quoque titulo scientiæ gaudeat, sicut suo loco ostendemus, ad seipsam quodammodo sit necessaria, sibique ipsi aliquo sensu debeat præsupponi, nempe Logica imperfecta Logicæ perfectæ, parva magnæ.





LOGICA PARVA.

PROLEGOMENON I.

De nomine, necessitate, ac partitione hujus tractatus.



Ogicam dividimus in parvam & magnam. Logicam magnam appellamus ipsam Logicam simpliciter dictam hoc est amplam & exactam rerum Logicalium tractationem quam postea tra-
nus. Parvam verò dicimus (de qua mo-
) quod alii Compendium Logices aut
nmulas, alii dialecticas institutiones vo-
e consueverunt, hoc est, *brevem earun-
ı rerum Logicalium , ex ipsa Logica. singu-
respectivè eius partibus excerptarum tra-
um, eidem Logicæ per* modum Isagoges,
introductionis, præmitti solitum : in
› juxta tres mentis operationes . scilicet
appre-

apprehensionem simplicem, judicium & discursum, ad quas dirigendas ipse & Logica tota ordinatur. agitur primò de simplicibus vocibus seu terminis; quorum notitiâ dirigitur prima dictarum operationum: secundò de propositione ejusque speciebus & proprietatibus, quæ inserviunt secundæ, & tertiò de argumentatione quæ deservit tertiæ. Intellectus quippe notitia terminorum probè instructus, rectè & absq; errore res simplices, quæ per simplices terminos significantur, apprehendit, in quo sita est prima ejus operatio, quæ nihil aliud est, quam actus quo simpliciter rem cognoscimus, nihil affirmando aut negando: item cognitâ & perspectâ naturâ propositionis j. affirmationis aut negationis, aliisve quæ de ipsa traduntur, non parum juvatur ad rectè de unaquaque re judicandum quæ est Secunda operatio. id est actus, quo de re quam simplici intuitu apprehenderamus, aliquid affirmamus aut negamus: tandem media argumentationis aliorumque ad eam spectantium notitia, absque deceptione discurrit, quæ est operatio tertia, actus nimirum quo mens unum ex alio infert.

Ex quibus habes tria in titulo proposita, nomen, necessitatem, ac partitionem hujus tractatus: Nomen quidem, nam rectè & convenienter Logica parva appellatur brevis ac rudis (qualis est hæc) tractatio eorumdem aut certè plurium, quæ fusius & exa-

actius traduntur in ipsa Logica, quæ sub-de comparatione tractatus hujus Logica agna meritò appellari potest. Necessita-m, nam sicut aliæ scientiæ comparari ne-ueunt absque prævia Logica, quia ipsa do-:t modum sciendi, hoc est, in qualibet ma-:ria ritè definiendi, dividendi & argumen-andi (ad quod cætera de quibus disserit, or-linantur) ita nec ipsa Logica, quæ pariter cientia est, subindeque notitiam modi sci-:ndi aliqualem necessariò præsupponit. sine prævio hocce tractatu rudem illam notitiam præstante nullatenus acquiri valet. Partitionem denique juxta triplicem mentis operationem quam dirigit, rectè in tres partes secatur, ut explicatum est.

PROLEGOMENON II.

De methodo in hoc tractatu, & in aliis servanda.

METHODUS definiri potest modus ordinatus procedendi in veritatis indagine.

Duplex autem est methodus: altera compositionis: altera resolutionis seu divisionis: Methodus compositionis est processus à simplicioribus ad magis particularia. Methodus verò divisionis ex opposito est, quando à compositis ad simplicia, vel à particularibus ad universaliora progredimur. Exemplum primæ methodi est, si quis acturus de homine prius agat

de corpore & anima, vel de animali in communi: exemplum secundæ, si è contra ab homine procedat ad partes ejus, vel ad rationem communem animalis. *Hoc posito sit primum assertum*

In scientiis proprio studio inveniendis servatur methodus resolutionis. Ratio est, quia in veritatis aut scientiæ acquisitione & inventione, quæ fit proprio Marte, procedimus à minus notis ad notiora per quæ illa nobis innotescant: partes autem sunt notiores totis, utpote simpliciores, universalia similiter sunt magis nota quam particularia, ob eandem causam: ergo procedendum est à totis ad &c. Et hoc modo adinventa est, aut certè reparata ab Aristotele Logica, à syllogismo enim aut demonstratione per experientiam (modo alas expandendo) aliquatenus & confusè cognita progressus est ad examinandam naturam propositionum quæ sunt partes ejus, & ab illis ad terminos qui sunt partes propositionum. Et generaliter loquẽdo omnes scientiæ hac via inventæ sunt ab hominibus: cognito enim per experientiam quod ignsi v.g. esset calidus, quod homo esset discursivus, admirativus, risibilis & hujusmodi, progressi sunt ad investigandas harum proprietatũ causas & principia, subindeque ad examinandas ipsius rei partes & essentialia prædicata, à quibus illæ proprietates oriuntur.

De

In scientiis verò tradendis, servanda est methodus compositionis per se loquendo. Ratio est, quia in doctrina, seu in scientiæ traditione progredimur è contra à notioribus ad minus nota explicanda, atque adeò à simplicioribus ad composita, ab universalibus ad magis particularia, quæ sunt confusiora. Unde in Physica e.g. prius agitur de ente naturali aut mobili in communi quam in particulari, prius de materia & forma, quàm de composito. In Logica pariter prius tractatur de intentionibus simplicibus aut terminis, quàm de propositionibus, prius de istis quam de argumentatione. Et hæc est methodus quam etiam in hac, (ut ita dicam) Logicula observabimus.

Dixi, *per se loquendo*, per accidens enim contingere potest oppositum, ut scilicet ordo invertatur, aliqua subsistente causa & necessitate, & tunc dicimur uti methodo arbitraria. Juxta quod nos ipsi antequam de terminis, qui simpliciores sunt, agamus, aliquid in sequentibus prolegomenis prælibare cogemur de modis sciendi, sine quibus aliorum notitia comparari nequit.

PROLEGOMENON III.

De modo ſciendi in communi.

MODUS *ſciendi, qui idem ſonat ac modus acquirendi ſcientiam de re aliqua, tripliciter accipi poteſt.*

Primò latiſſimè pro omni eo quod quomodocunque conducit & juvat ad ſcientiam acquirendam: quo ſenſu ipſa Logica, quæ eſt vera ſcientia, appellatur nonnunquam modus ſciendi, quia conducit ad cæteras ſcientias comparandas: eodem ſenſu methodus etiam cujus naturam prolegomeno ſuperiori explicavimus, interdum modus ſciendi nuncupatur: & eadem etiam ratione omnia vel minutiſſima, de quibus agitur in Logica, modi ſciendi appellari poſſunt, quatenus, ſi non proximè, ſaltem remotè ad ſcientiam acquirendam concurrunt, ea ſcilicet ratione qua ſunt partes eorum quæ conducunt immediatius.

Secundo ſumi poteſt ſtrictiſſimè pro eo ſolo, quod proximè & immediatè concurrit ad veram & propriè dictam ſcientiam acquirendam: quo ſenſu ſola demonſtratio appellari poteſt modus ſciendi, quia ipſa ſola eſt quæ immediatè cauſat ſcientificam rei cognitionem.

Tertiò & communiter accipitur modus ſciẽdi medio modo, pro eo quod deſervit immediatè ad rectè & ſine errore rem cognoſcendã, etſi illa cognitio nõ ſit propriè ſcientifica, ad quã ſola demon-

ſtratio

ratio proximè conducit : hoc sensu modus
ciendi, (sumpto ly *sciendi* paulo latius pro-
t idem est ac sine errore cognoscendi aut
ntelligendi) est triplex , *scilicet definitio,*
visio & argumentatio, quia nempe tria
ossumus de qualibet re ignorare, ad quo-
um notitiam immediatè nos ducunt, nem-
e ejus essentiam, ejus partes, ejus affectio-
s aut accidentia : essentiam manifestat &
plicat definitio, partes divisio. argumen-
tio affectiones seu proprietates, aut acci-
entia. E. G. si ignoremus essentiam homi-
s, manifestabitur hac definitione. Est ani-
al rationale: si partes, hac divisione, Homi-
s alia pars corpus, alia anima rationalis : si
opriam passionẽ aut affectionẽ risibilita-
; v.g. hac argumentatione, Omne rationa-
est risibile, omnis homo est rationalis, ergo
mnis homo est risibilis. Unde

*Modus sciendi in hac ultima & communi ac-
ptione definitur, Oratio ignoti manifestativa,
 explicans id quod de re ignoratur: & adæqua-
dividitur in tria prædicta membra*, quorum
imum nempe *definitio*, dici ac definiri po-
t *Oratio explicans naturam seu essentiam rei.
visio, Oratio explicant ejus partes: argumenta-
, Oratio explicans seu manifestans ejus pro-
etates, videlicet inferendo & deducendo eas ex
s essentia*, unde communis definitur : *Oratio
qua unum ex alio infertur.* Quæ omnia in
emplis jam adductis patent. Sicut autem
n possumus aliud ignorare de re, ita nec

assignari potest alius modus sciendi præter illos tres. Propositio enim (de qua posset esse aliquod dubium) cùm secundum se habeat tantum dicere seu enuntiare unum de alio, non est modus sciendi per se & ratione sui, sed solum ratione definitionis aut divisionis quando illas includit, ut in his exemplis, Homo est animal rationale: Hominis pars est alia corpus alia anima, vel ratione argumentationis in qua ipsa includitur ut pars, ut, Homo est rationalis: ergò est risibilis.

PROLEGOMENON IV.

De modis sciendi in particulari.

PRIMUS modus sciendi, seu res sine errore cognoscendi, est definitio, quæ ut dictum est, est Oratio explicans naturam rei. Exemp. Grat. Animal rationale dicitur definitio hominis, quia ejus essentiam aperit & manifestat. Et solet definitio propriè dicta appellari definitio quid rei, id est, explicans quid res ipsa sit, ad differentiam definitionis quid nominis, quæ scilicet explicat tantum nomen, puta obscurius per notius v.g. Ly (*Anthropos*) per ly Homo, quæ ideo non dicitur propriè definitio, unde illa relicta.

Definitio quid rei, quæ est ea quam definivimus, alia est essentialis, alia descriptiva. Essentialis est illa quæ explicat essentiam rei definitæ per partes ipsius essentiales, quæ si

sint

it physicæ.j.materia & forma,definitio dicitur essentialis physica, ut cum definio hominem dicendo esse compositum ex corpore anima rationali: si verò fuerint metaphysicæ,nempe genus & differentia,definitio dicitur essentialis metaphysica, & hujusmodi t ista, Animal rationale. Definitio verò descriptiva est illa quæ explicat naturam rei per liquid quod est extra essentiam ejus. Et hæc t triplex. Prima est quæ naturam rei exponit per proprietatem ejus, ut cùm dico, Homo est animal risibile: Secunda,quæ per caus ejus extrinsecas,efficientem, finalem,& exemplarem,ut si dicas,Hominem esse animal reatum à Deo, ad ipsius imaginem, & ad eatitudinem consequendam. Tertia, quæ er aliqua accidentia communia, quæ simul ıncta soli definito competunt, ut si dicas, Iominem esse animal pulchrum, implume, ipes, habens caput erectum.

Prima autem regula pro bona definitione st, quòd sit clarior definito: alias enim non xplicaret illud.

Secunda, quod non sit diminuta, nec superflua: illa enim non explicaret totum, hæc ıon explicaret clarè, superfluitas enim conusionem parit.

Tertia & præcipua, quòd constet genere & differentia, vel propriè,vel saltem impropriè.j. aliquo communi in quo definitum onveniat cum aliis, & aliquo speciali er quod differat ab illis: alias enim non

explicaret

explicaret totam essentiam rei quæ his constat.

Vltima, quod convertatur cum definito, nec ulli alteri competat, quod patet, cum nihil aliud sit definitio reipsa quàm ipsummet definitum explicatum.

Secundus modus sciendi est Divisio, qua pariter definita est supra, Oratio explicans partes rei, seu quod in idem redit, *totum in suas partes dividens. Et est duplex. alia actualis, alia potentialis.*

Divisio actualis est oratio distribuens totum in suas partes actuales. j. quas in se actu continet, & est triplex, essentialis, integralis & accidentalis. Essentialis est illa qua totum in partes actuales essentiales divitur, & si quidem fuerint physicæ, dicitur divisio physica, ut, Hominis alia pars corpus alia anima rationalis, si methaphysicæ, metaphysica, ut, Hominis alia pars animal, alia rationale. *Integralis* est illa qua distribuitur totũ in partes actuales integrantes, ut, Hominis pars alia caput, alia manus, &c. *Accidentalis* denique qua dividitur in partes actuales accidentales. j. in accidentia quæ actu importat, ut, Hominis aliud accidens quãtitas, aliud qualitas, aliud relatio &c.

Divisio verò potentialis est oratio totum dividens in suas partes potentiales seu subjectas. j. quas sub se & in potentia continet, ipsum verò actu continetur & participatur ab illis. Et est duplex, alia essentialis, alia accidentalis. Essentia-

ſentialis eſt, qua dividitur totum in partes ſubjectivas eſſentiales, à quibus ſcilicet eſſentialiter participatur: & ſi quidem participatur ab illis æqualiter & ſecundum eandem rationem, dicitur diviſio eſſentialis univoca, ſeu diviſio univoci in univocata eſſentialia, puta generis in ſpecies, ut hæc, Animal aliud eſt homo, aliud Brutum: ſi verò inæqualiter & ſecundum rationem ſimpliciter diverſam, aliqualiter tantum & ſecundum quid eandem, appellatur diviſio eſſentialis analoga, ſeu diviſio analogi in analogata eſſentialia, ut hæc, Ens aliud ſubſtantia, aliud accidens. Accidentalis verò eſt qua dividitur totum in partes ſubjectivas accidentales.j. à quibus accidentaliter tantum participatur, ut hæc, Album aliud paries, aliud nix, &c. Sanum, aliud animal, aliud medicina, aliud urina: & ſi participatur æqualiter ab illis, ut in priori exemplo de albo, dici poteſt diviſio accidentalis univoca: ſi verò inæqualiter, analoga, ut in alio exemplo de ſano: ſanitas enim propriè ab animali participatur, impropriè ab animali participatur, impropriè à medicina & urina, quarum illa ea tantum ratione dicitur ſana, quatenus ſanitatem in animali cauſat, hæc quatenus ſignificat. Appellari autem ſolet hæc diviſio accidentis in ſubjecta: eſt verò alia ex oppoſito, quæ dicitur ſubjecti in accidentia, ut hæc, Paries alius albus, alius niger. Ex quibus omnibus habes diverſitatem diviſionum deſumi ex diverſitate partium

divi-


dividentium, aut quòd idem eſt, totorum diviſorum: in hoc enim differunt, quod diviſio actualis verb. gr. ſit oratio totum actuale in ſuas partes diſtribuens, potentialis potentiale, & ſic de aliis.

Prima verò regula pro bona diviſione eſt, quòd partes ſeu membra dividentia ſint oppoſita. j. inter ſe diſtincta vel re vel ratione, quia alias non eſſent partes, de quarum ratione eſt ſe invicem excludere.

Secunda, quòd ſit adæquata. j. quod detur per membra adæquantia diviſum, ita ut nec magis nec minus latè pateant: partes enim ſimul ſumptæ debent adæquare totum, & non excedere, nec excedi ab illo.

Tertius modus ſciendi eſt argumentatio. j. Oratio in qua unum ex alio infertur, ut, Homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis, vel, omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis. Sed ne eadem bis dicere cogamur, quæ de argumentatione hic prælibanda forent ad intelligentiam ſequentium, vide infra initio tertiæ partis hujus tractatus, ubi proprium locum habent. Solum adverte tam argumentationem quàm definitionem & diviſionem non dici veras vel falſas (veritas enim & falſitas proprietates ſunt ſolius propoſitionis) ſed bonas vel malas.

PRI-



RIMA PARS DE TERMINIS.

SECTIO I.

De Natura Termini, eiusque Speciebus.

TERMINUS, *Logicè loquendo, dicitur pars propositionis. e. g. cum dico, Homo est animal*, ly Homo & animal quæ sunt partes hujus propositionis copulatæ per verbum *t* tanquam per unionem, dicuntur termini, mptâ metaphorâ à punctis extremis lineæ, :ut enim illa terminant lineam, ita hæc opositionem. Unde etiam infertur quod si- :t puncta extra lineam posita non dicerent- r actu formaliter termini, quia scilicet actu)n terminarent, ita nec nomina extra pro-)sitionem sumpta termini appellari debent › eandem rationem. Nec dicas sufficere iòd habeant aptitudinem ad propositio- ›m terminandam aut componendam, præ- fertim

sertim cùm juxta commune axioma, verba in definitionibus non dicant actum, sed aptitudinem solum: Id enim nego; & illud axioma intelligitur quando actus non est de essentia definiti, de essentia autem termini est actu terminare propositionem aut esse actu partem illius, quòd si non terminet actu, erit quidem nomen sed non terminus. Dixi, Logicè loquendo, nam vulgo & communiter terminus dicitur quodvis nomen aut vocabulum absque ullo respectu ad propositionem.


Dividitur autem primò terminus in subjectum & prædicatum. Subjectum est terminus de quo aliud dicitur: prædicatum verò, qui dicitur de alio. E. G. in hac propositione, Homo est animal, ly Homo appellatur subjectum, quia de eo dicitur animal; Ly Animal verò prædicatum, quia dicitur seu prædicatur de homine.

Dividitur secundò terminus in mentalē, vocalem, & scriptum. Ratio hujus Divisionis est, quia triplex datur propositio, prima Mentalis quæ ab intellectu formatur, puta quando intra meipsum judico hominem esse animal: secunda vocalis, quando illud ipsum ore pronuncio: tertia scripta, quando id in charta scribo. Unde cùm terminus sit pars propositionis, alius erit mentalis, qui scilicet est pars Propositionis mentalis, & nihil aliud est quam conceptus prædicati aut subjecti, alius vocalis, nempe vox quæ est pars propositionis

nis vocalis, alius ſcriptus, qui eſt pars propoſitionis ſcriptæ.

Dividitur tertiò terminus in categorematicum, & ſyncategorematicum, & mixtum. Categorema, ſeu terminus categorematicus, qui idem ſonat ac enunciabilis aut prædicabilis (à verbo Græco κατηγορέω j. enuncio, prædico,) *eſt ille qui per ſe rem aliquam ſignificat,* unde oritur quod poſſit per ſe enunciari. j. eſſe integrum ſubjectum vel prædicatum propoſitionis: ut, Homo, Equus, Animal. *Syncategorema ſeu terminus ſyncategorematicus, id eſt, ut ita dicam coënuntiabilis, eſt ille, qui ſe ſolo non ſignificat rem aliquam, ſed ſolum conſignificat junctus termino categorematico, unde fit quod non poteſt niſi una cum ipſo eſſe prædicatum aut ſubjectum in propoſitione,* ut, Omnis, Nullus, Aliquis, & hujuſmodi. Mixtus denique dicitur ille qui virtualiter ſeu æquivalenter includit categorematicum & ſyncategorematicum, & ex illis veluti componitur ſaltem quoad ſenſum, ut Nemo, quod idem eſt ac nullus homo. Relicto ſyncategorematico & mixto.

Terminus categorematicus ſubdividitur in complexum & incomplexum. Terminus incomplexus eſt ille cujus partes ſeparatim ſumptæ non ſignificant, ſaltem juxta ſignificationem totius vocabuli, cujuſmodi ſunt Homo, Leo, & aliæ voces ſimplices, imo & compoſitæ, ut Reſpublica, cujus partes aliud ſignificant conjunctæ in toto, nempe communitatem Civium



vium sub certis legibus degentium, aliud separatæ; scilicet rem ad Communitatem spectantẽ. Terminus verò complexus est ille cujus partes separatę significant, juxta significationẽ totius, ut, Homo albus, unde est oratio, quæ à nobis eodem modo infra definietur, & sub illo continentur definitio & divisio.

Terminus incomplexus subdividitur in univocum, æquivocum, & analogum. Terminus univocus est qui significat aliquam rationem in pluribus simpliciter eandem, ut Animal respectu specierum. Homo respectu individuorum. Analogus, qui significat rationem aliquam in multis simpliciter diversam, secundum quid verò eandem, ut sanum respectu animalis medicinæ, & urinæ, Ens respectu substantiæ & accidentis, ratio enim habentis, causantis, aut significantis sanitatem, importata per ly sanum, item ratio habentis esse per se aut in alio; significata per ly Ens, est simpliciter diversa in illis ut constat, secundum quid verò eadem; penes aut respectum ad eandem sanitatem, aut similitudinem proportionalem in ratione essendi, ut in anteprædicamentis explicabitur. Æquivocus verò est qui non significat ullam rationem sive simpliciter sive secundum quid eandem in pluribus, sed ipsa plura immediatè ut diversa: ut Canis respectu latrabilis, marini, & cælestis.

Dividitur quartò terminus in singularem & communem. Singularis est ille qui significat unum

unum tantum; ut, Petrus, hic Homo, *Communis, qui plura divisim, seu qui de multis sigillatim dicitur*, ut Homo. Dixi, divisim, ut à ratione termini communis excludatur collectivus, puta Gens, Populus, & hujusmodi, qui significant plures simul.

Dividitur quintò terminus in concretum & abstractum. Concretus est qui significat formam ut concretam seu conjunctam subjecto vel supposito: ut, Album quod significat albedinem ut in subjecto. Homo humanitatem ut in supposito. Abstractus est qui significat ipsam formam secundum se: ut Albedo, Humanitas. Unde concretum dicitur habere duplex significatum: unum formale, nempe ipsam formam, alterum materiale, scilicet subjectum aut suppositum habens illam: abstractum verò habet unicum tantum, scilicet formam.

Dividitur sextò terminus in Absolutum & Connotativum. Absolutus(alias substantivus) est ille qui rem absolutè & quasi per se stantem significat: ut Albedo, Humanitas, Homo. Connotativus (alias adjectivus) est qui significat rem seu formam ut connotantem aliud, seu ut alteri adjacentem: sicut Album quod significat albedinem ut adjacentem, sive inhærentem subjecto. Ex quibus colliges omnem terminum connotativum esse concretum, non è contra: ex adverso autem omnem abstractum esse absolutum, non verò omnem absolutum esse abstractum.

Divi-

Dividitur septimo in Terminum primæ intentionis, qui significat rem ut est à parte rei, sicut Animal, Homo, & *Secundæ intentionis*, qui significat illam ut est in intellectu ut Genus, Species, & hujusmodi.

Dividitur ultimò in finitum & infinitum. Infinitus est ille qui ratione negationis sibi præfixæ indeterminatam & infinitam habet significationem: ut, Non homo, hic enim terminus nullam rem determinatè significat, sed de omnibus omnino, præterquam de ipso homine dici potest: nam verum est dicere, Lapis est non homo; & sic de aliis, excepto, ut dixi ipso homine, de quo solo dici nequit, quòd sit non homo. *Terminus verò finitus est ille, qui caret tali negatione, & determinatam ac finitam habet significationem,* ut Homo, qui determinatè significat naturam humanam, & quivis alius negatione infinitante non affectus.

SECTIO

SECTIO II.

De proprietatibus termini, & primò de suppositione.

PRIMA *proprietas termini est suppositio, quæ definitur: positio termini loco sui significati:* ut cum dico, Homo est animal, ibi enim ly homo ponitur pro re significata; non vero pro ipsa voce, sicut cùm dico, Homo est nomen: unde hæc posterior dicitur suppositio materialis, quæ est acceptio seu positio termini loco sui ipsius; prior formalis, quæ loco significati.

Dividitur autem suppositio formalis in simplicem & realem. *Suppositio simplex est positio termini pro suo immediato significato tantum: realis pro mediato & immediato: & utraque subdividitur in communem & singularem. Suppositio simplex communis est positio termini communis pro suo immediato significato tantum, quod est commune*; ut cùm dico, Homo est species, ibi enim ly homo sumitur tantum pro natura humana in communi, non autem pro individuis quæ sunt significata mediata tantum, unde non valet consequentia, Homo est species, ergo Petrus est species: Ex opposito, suppositio simplex singu-

 laris

laris est positio termini singularis *pro suo immediato significato quod est singulare*; ut cùm dico, Petrus est individuum, ibi siquidem ly Petrus accipitur tantum pro hoc singulari, non vero pro natura humana in communi, & ideo etiam non sequitur, Petrus est individuum: ergo homo est individuum. *Suppositio vero realis communis est acceptio termini communis pro suis omnibus significatis, tam immediato, quod est commune, quam mediatis, quæ sunt particularia*; ut cum dico, Homo est animal, ibi enim ly homo accipitur pro natura humana in communi & pro individuis ipsius, unde recte sequitur, Homo est animal (ergo Petrus est animal) Paulus est animal. *E regione suppositio realis singularis est positio termini singularis pro suo significato, & immediato quod est singulare. & mediato quod est commune*; ut cum dico, Petrus est animal, ibi enim ly Petrus sumitur & pro hoc singulari, & pro natura humana in communi, unde valet, Petrus est animal ergo homo est animal. Relictis aliis.

Suppositio realis communis est duplex, nempe copulativa & disiunctiva. Copulativa est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis copulative sumptis: ut cum dico, Omnis homo est animal, ibi enim ly homo accipitur pro omnibus hominibus seu naturæ humanæ individuis copulativè sumptis, ita ut de omnibus simul verificetur prædicatum: unde valet, Omnis homo est animal, ergo

Petrus

Petrus & Andræas, & Jacobus & alii sunt animal. *Disjunctiva vero est acceptio termini pro omnibus suis significatis disjunctive sumptis:* ut in hac propositione, Aliquis homo est albus, ubi lv homo accipitur pro omnibus individuis disiunctive, ita ut inferre liceat, Ergo vel Petrus, vel Andræas, vel Iacobus &c. est albus. *Rursus utraque subdividitur: nam suppositio copulativa alia est distributiva alia collectiva: item disjunctiva alia est determinata, alia indeterminata seu confusa.*

Suppositio distributiva est acceptio termini pro omnibus suis significatis copulative & seorsim sumptis: ut in exemplo adducto, Omnis homo est animal, ubi homo accipitur non solum pro omnibus individuis copulativè sumptis, sed etiam pro omnibus seorsim & sigillatim, ita ut animal verificetur & de omnibus simul, & de singulis seorsim: unde non solum inferre licet, Ergo Petrus & Andreas & Iacobus & alii sunt animal, sed etiam, Ergo & Petrus est animal, & Andreas est animal, &c. *Et hæc suppositio subdividitur in distributivam completam seu absolutam, & distributivam incompletam sive accommodam.* Suppositio distributiva completa & absoluta est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis absolute, ut in exemplo mox adducto. *Incompleta vero & accommoda est acceptio non pro omnibus absolutè, sed pro omnibus accommodate juxta exigentiam prædicati.*

 ut

ut enim habet commune proloquium, taliter supponunt subjecta qualiter exigunt aut permittunt prædicata: ut in hoc exemplo, Omne animal fuit in arca Noe, ubi animal supponit pro omnibus speciebus non pro omnibus individuis animalis, unde sensus est ex omnibus speciebus animalis aliquod fuisse in arca Noe: qua de causa solet hæc appellari suppositio distributiva pro generibus singulorum, prior verò pro singulis generum: ubi nota genera poni pro speciebus, ut non raro fit.

Suppositio vero collectiva (quæ retento nomine communi, simpliciter appellari solet copulativa) *est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis copulative tantum sumptis:* ut cum dicitur, Omnes Apostoli sunt duodecim, ly Apostoli supponit & accipitur pro omnibus simul, non pro singulis seorsim: unde solum licet inferre quòd Petrus, Andræas, Jacobus & alii simul & collective sumpti sunt duodecim; non autem quod Petrus sit duodecim, Andreas sit duodecim ut in suppositione distributiva.

Suppositio determinata est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis disjunctive & seorsim sumptis: ut in exemplo supra adducto, Aliquis homo est albus, ubi Homo accipitur non solum pro omnibus sub disjunctione simul sumptis, sed etiam seorsim; ita ut inferri possit & simul de omnibus,

Ergo vel Petrus, vel Andræas, vel Jacobus vel &c. est albus; & seorsim de singulis, Ergo vel Petrus est albus, vel Jacobus est albus, &c.

Suppositio denique indeterminata & confusa est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis disjunctive & simul sumptis: ut in hac propositione, Aliquis oculus est necessarius ad videndum, ubi oculus supponit pro ambobus oculis sub disjunctione simul sumptis, non seorsim: unde solum inferre licet de ambobus simul, Ergo vel dexter vel sinister est necessarius ad videndum: non vero seorsim, Ergo vel dexter est necessarius, vel sinister est necessarius, quia neuter determinatè, sed alteruter, ille vel ille confusè & indeterminatè.

Ut autem dignoscere valeas quandonam supponant termini distributivè aut collectivè determinatè vel confusè, respiciendi sunt potissimum termini syncategorematici, qui aliter appellantur signa, suntque duplicis generis: alia enim sunt signa universalia, sive illa sint affirmativa, ut Omnis, Quilibet Cunctus; sive negativa, ut nullus, Nemo: alia particularia, tum similiter affirmativa, ut Aliquis, Quidam: tum negativa, ut Aliquis non, Quidam non. Hoc posito, sit.

Prima regula: Si subjectum propositionis afficiatur signo universali, supponit vel distributive, ut in hac propositione ostendimus, Om-

 nis

nis homo est animal, *vel collective* (juxta exigentiam prædicati, quando scilicet est terminus collectivus) ut in ista, Omnes Apostoli sunt duodecim.

Secunda regula: Si propositio afficiatur signo particulari, subjectum supponit vel determinate, ut explicuimus in hac propositione. Aliquis homo est albus, *vel indeterminate & confuse* (juxta quod exigit prædicatum) ut in ista, Aliquis oculus est necessarius ad videndum, Aliquis equus ad equitandum.

Tertia regula, Si propositio nullo signo afficiatur [*quæ dicitur propositio indefinita*] *tunc distinguendum est:* nam si sit in materia necessaria vel remota j. prædicatum necessariò conveniat subjecto, ut in ista Homo est animal; vel repugnet, ut in hac Homo non est lapis; tunc subjectum supponit distributivè, ac si propositio afficeretur signo universali & diceretur, Omnis homo est animal aut, Nullus homo est lapis. Si autem sit in materia contingenti. j. prædicatum accidentaliter conveniat subjecto, ut in hac, Homo est albus, tunc subjectum supponit determinate vel confuse, ac si diceretur, Aliquis homo est albus, aliquis oculus est necessarius ad videndum. Unde dici solet propositionem indefinitam in materia naturali aut remota æquivalere universali, in materia contingenti æquivalere particulari.

Quarta regula: *in omni propositione affirmativa prædicatum supponit confuse* ut in hac.

Omnis

Omnis homo est animal, ibi enim animal sumitur pro hoc vel illo confuse & indeterminate; non vero pro omni, alias falsa esset propositio: in omni autem propositione negativa supponit distributive, ut in ista, Homo non est lapis.

§. Unicus.

De reliquis proprietatibus termini, præcipue de ampliatione.

SECUNDA *proprietas termini est Ampliatio, quæ est extensio termini a minori ad majorem suppositionem:* ut in hac propositione, Justi in perpetuum vivent, ubi terminus ille, Justi, qui posset supponere solùm pro justis futuris (id enim tantum exposcit de necessitate ly Vivent, ampliatur & extenditur ad supponendum pro iis etiam justis qui modo sunt aut fuerunt.

Tertia proprietas est Restrictio. quæ Ampliationi opponitur, est enim coarctatio termini à majori ad minorem suppositionem: E. G. in hac propositione, Omnis homo justus diligit Deum, ly homo restringitur & coarctatur per ly justus ut supponat non pro omnibus sed solum pro justis. *Ad hanc reducitur diminutio, quæ est detractio partis suppositionis:* ut cum dico, Æthiops est albus secundum dentes: ubi ratione illius particulæ dimi-

nuentis (secundum dentes) Æthiops supponit tantum pro illa parte.

Quarta est Appellatio, quæ definitur Applicatio seu appositio significati unius termini ad significatum alterius: ut cum dico, Homo est animal, significatum animalis applicatur significato hominis: & propterea terminus qui applicatur dicitur *appellans*, ille verò cui applicatur, dicitur *appellatus.* Quia verò significatum termini appellantis, quod semper est formale (applicari enim, formæ est) potest apponi seu applicari vel materiali vel formali significato termini appellati (quando scilicet hic est concretus aut connotativus, in quibus sectione superiori duplex illud significatum distinximus; vel complexus ex absoluto & connotativo coalescens, quorum ille se habet ut materiale, iste ut formale.) Ideo duplex etiam est appellatio, altera materialis, altera formalis.

Appellatio materialis est applicatio significati termini appellantis ad materiale appellati, ut cum dico, Album est dulce, Petrus logicus est magnus: sensus enim est, quod habens albedinem, seu subjectum illud quod alias est album, est etiam dulce, quòd Petrus qui studet Logicæ, est magnus (magnitudine scilicet molis non scientiæ.)

Appellatio verò formalis est applicatio significati termini appellantis ad formale termini appellati, vel quod in idem redit ad materiale ratione ipsius formalis: ut cum dico, Homo est animal,

mal, Petrus est magnus logicus, Album in quantum album est dulce: *Sensus siquidem est*, quòd homo ea ratione qua est homo est animal; quòd Petrus ea ratione qua Petrus seu hic homo est logicus, & ea ratione qua logicus [sumpto jam hoc termino ut absoluto] est magnus, j. magnitudine ut ita dicam seu peritiâ logices; item quod album ratione albedinis est dulce (quod non est verum.) Ex quibus colliges duas regulas pro appellationibus.


Prima regula est, tunc fieri appellationem materialem, quando terminus appellatus est connotativus seu adjectivus, sive ponatur solus, sive junctus absoluto: ut patet in exemplis superius adductis. Et propterea istæ propositiones sunt veræ & catholicæ: In divinis sunt tres divini, tres immensi, tres æterni, tres omnipotentes, sumendo ly Divini, ly immensi, æterni, omnipotentes adjective: quia scilicet ly tres applicat suum significatum supra suppositum quod est significatum materiale, non supra Divinitatem, immensitatem, omnipotentiam, & hujusmodi quæ sunt significata formalia; & sensus est quod sunt tria supposita seu tres personæ habentes divinitatem, immensitatem, omnipotentiam (scilicet eandem.) Ob eandem rationem si per impossibile eadem albedo esset in tribus subjectis, dicerentur tria alba. j. tria subjecta habentia albedinem.

Secunda regula est, tunc fieri appellationem forma-

formalem, quando terminus appellatus est absolutus seu substantivus; vel si connotativus, additur reduplicatio. In quantum, Secundum quod, & hujusmodi: ut constat in exemplis superius positis. Et hac de causa istæ propositiones sunt falsæ & hæreticæ: In Divinis sunt tres immensi, tres æterni, tres omnipotentes, sumendo illud substantivè, ut sumpsit Divus Athanasius in suo symbolo, dicens, Non tres immensi sed unus immensus, Non tres æterni aut omnipotentes sed unus æternus, unus omnipotens: quia nimirum ly tres appellat supra formale huiusmodi terminorum, prout sunt substantivi & absoluti. j. supra immensitatem, omnipotentiam & hujusmodi, & sensus est quod sunt tres ea ratione qua omnipotentes, qua immensi, subindeque quod sunt in his tres omnipotentiæ, tres immensitates, seu quod sunt tres personæ habentes tres omnipotentias: quod est hæreticum, & multo magis dicere quod sint tres Dii. ob eandem rationem. Ex eadem radice oritur quod istæ sint veræ & catholicæ Christus est æternus (juxta illud ad Hebr. ult. Christus heri & hodie, ipse & in sæcula:) Hic homo (designato eodem Christo) est omnipotens, immensus, æternus: & è contra. Deus est genitus ex tempore, est mortuus, & hujusmodi: Quia videlicet in illis ly *æternus* appellat supra Christum *ratione divinitatis*; in istis ly mortuus & similia, supra Deum ratione humanitatis, eo quod huiusmodi termini appellat ii

pellati sunt absoluti. Dices: quare ergo ista non est pariter vera sed hæretica; Christus est factus, aut, Christus est creatus vel creatura? Respondeo reipsa ly factus aut creatus vel creatura, appellare supra Christum ratione humanitatis, quemadmodum ly mortuus, sepultus, & hujusmodi, atque adeo prædictam propositionem rectè intellectam concedendam fore sicut alias: quia tamen Arius eam malè & erroneè intellexit existimans Christum esse factum ratione etiam personæ quam volebat esse creatam, non divinam, ideo ut ejus errorem damnet Ecclesia ait in Symbolo Nicæno: Genitum non factum: nec admittit esse factum, creatum, aut creaturam, nisi cum addito, ratione naturæ assumptæ, non personæ.

SECUN-



SECVNDA PARS.

DE PROPOSITIONE.

SECTIO I.

De natura propositionis, eiusque speciebus.



ROPOSITIO *definitur Oratio ennunciativa vel Oratio significans verum aut falsum.* Ut has definitiones intelligas nota (quod fusius explicabimus initio secundæ partis Logicæ, ubi de nomine, verbo, & oratione) *orationem definiri vocem significativam ad placitum, cujus partes separatæ significant*: per quas ultimas particulas differt à verbo & nomine, quæ cum sint voces incomplexæ, partes illorum non significant juxta significationem totius, ut supra diximus de termino incomplexo: oratio verò cũ sit vox complexa & ex pluribus composita, habet partes quæ seorsim sumptæ significant eadem significatione quam habent

habent, dū orationē componūt. Hoc posito.

Prior definitio propositionis est essentialis; siquidem datur per genus & differentiam: Oratio enim est genus seu ratio quædam communis in qua propositio convenit cum definitione, divisione; argumentatione & aliis. Differt autem ab illis in eo *quod enunciet j. affirmet aut neget unum de alio*, quod non præstant definitio & divisio nec etiam argumentatio in quantum tales. Hæc enim definitio hominis: Animal rationale, & hæc divisio. Hominis alia pars corpus, alia anima rationalis, nihil affirmant aut negant, sed clarius dumtaxat explicant id quod obscurius hoc nomine Homo significatur: argumentatio similiter in illatione formaliter consistit qua unum deducit ex alio, non autem in affirmatione aut negatione. Dixi, in quantum tales, ut indicarem definitionem, divisionem, & argumentationem non esse orationes formaliter enunciativas, quamvis possint esse tales materialiter, aut quia includuntur in propositione, ut cum dico, Homo est animal rationale, vel, Hominis pars alia est corpus alia anima; ut quia eam includunt, ut argumentatio quæ constat propositionibus tanquam partibus materialibus.

Posterior verò definitio est descriptiva, siquidem datur per proprietates, nempe per veritatem aut falsitatem, quæ non sunt ipsa essentia propositionis, sed affectiones quæ eam consequuntur. *Divi-*

Dividitur autem propositio communissimè sumpta in simplicem & conjunctam.

Propositio simplex, quæ appellari solet Categorica (j. enunciativa, à verbo Græco κατηγορέω. enuncio, aut prædico,) est illa quæ simpliciter enuntiat unum de alio: seu, ut alii explicant, quæ constat subjecto & prædicato tanquam partibus principalibus & verbo tanquam copula. Sive autem ex parte utriusque extremi, j. prædicati & subjecti, sit terminus incomplexus, sive complexus, imo etiam propositio integra (ut cum dico; Petrus, qui est Logicus, est vir magnus) perinde est ad rationem propositionis simplicis seu categoricæ; totum enim illud quod ponitur ex parte subjecti aut prædicati, se habet per modum unius extremi. Adverte autem in hujusmodi propositionibus categoricis, in quibus ex parte alterius extremi ponitur una integra propositio, ut in exemplo mox allato, copulam propositionis in tali extremo involutæ & implicatæ, appellari copulam implicationis & minus principalem, ad differentiam alterius quæ conjungit principalia extrema quæ ideo copula principalis appellatur.

Propositio verò conjuncta, quæ solet appellari hypothetica, est illa quæ constat pluribus propositionibus simplicibus tanquam partibus principalibus conjunctione aliqua unita: & est quintuplex, conditionalis, causalis, rationalis, copulativa & disjunctiva.

Con-

Conditionalis est illa cujus partes uniuntur media conjunctione conditionali Si, ut, Si homo est rationalis est risibilis. Rationalis est ea cujus partes copulantur per particulam rationalem *Ergo* aut *Igitur* : ut, Homo est rationalis : ergo est risibilis: *Causalis autem est, in qua uniuntur media particula causali. Quia aut simili*: ut Quia homo est rationalis est risibilis. Ad veritatem harum (quæ non tam dicendæ sunt propositiones quàm argumẽtationes, cum particulæ *Si, Ergò, Quia*, sint notæ illationis, quibus unum ex alio inferri denotatur, in quo sita est propria ratio argumentationis) *requiritur inprimis quod una, qua dicitur consequens. rectè sequatur ex altera qua dicitur antecedens* : Idque sufficit in propositione conditionali: unde istæ sunt veræ, Si equus esset rationalis esset risilis, Si homo haberet alas volaret, quia licet in utraq; antecedens sit falsũ videlicet quod equus sit raonalis, quod homo habeat alas ; & consequens similiter, nempe quod equus sit risibilis, quod homo volet ; unum tamen rectè sequitur ex alio, & consequentia est bona, quod sufficit ad veritatem propositionis cõditionalis. *Ad veritatem autem propositionis rationalis præter hanc conditionem, id est, bonitatem consequentiæ, requiritur alia, scilicet quod antecedens sit verum* : defectu cujus conditionis hæc propositio rationalis est falsa ; Equus est homo ergò est animal:
Deni-

Denique præter has duas conditiones, ad veritatem causalis requiritur insuper quod antecedens sit causa consequentis : unde ista est vera. Homo est risibilis quia rationalis : hæc verò falsa, Homo est rationalis quia est risibilis, quia scilicet rationalitas est causa risibilitatis in homine, & non è contra.

Propositio autem copulativa est illa, cujus partes uniuntur media copula. Et, Atque, aut similibus, ut Petrus est animal & Paulus est animal. Et ad hujus veritatem necesse est quòd singulæ propositiones simplices, quibus constat, sint veræ.

Disiunctiva denique dicitur ea in qua propositiones simplices uniuntur conjunctione disjunctiva Vel, Aut &c. ut vel homo est animal rationale vel est irrationale. *Ad cujus veritatem sufficit & requiritur veritas alterius propositionis simplicis.*

§. I.

De propositione categorica seu simplici, ejusq; variis divisionibus.

RELICTA propositione hypothetica seu conjuncta, quæ ut talis non est verè & propriè propositio, cum non enunciet unum de alio formaliter, sed media aliqua conjunctione propositiones simplices & propriè enuntiativas solum uniat; ut intel-

intelligas ea quæ dicenda supersunt de ipsa propositione categorica & simplici, quæ est simpliciter & propriè propositio.

Adverte quod sicut in composito naturali quatuor præcipuè reperiuntur, materia forma, quantitas, & qualitas, ita in propositione, quæ est compositum quoddam rationis, eadem quatuor suo modo sunt distinguenda. Materia propositionis sunt termini, id est, prædicatum & subjectum, secundum habitudinem quam inter se habent: unde sicut quadruplex est hujusmodi habitudo prædicati ad subjectum, *ita quadruplex distingui potest materia: Naturalis*, quæ est quando prædicatum naturalem habet seu necessariam habitudinem ad subjectum, cum scilicet est de ejus essentia, aut propria ejus passio: *Contingens*, quando cõtingentem & accidentalem, ita ut actu ipsi conveniat, possit tamen non convenire: *Possibilis*, quando possibilem, ita quod actu non competat, possit tamen ei competere: & *Impossibilis*, quando impossibilem, cum scilicet nec actu convenit, nec convenire potest. *Forma autem propositionis* est actualis unio prædicati cum subjecto, quæ nihil aliud est quàm enuntiatio illius de isto. *Quantitas verò est* illa propositionis veluti magnitudo & extensio secundum quam propositio dicitur universalis vel particularis. *Qualitas* tandem propositionis est ejus veritas aut falsitas. His positis.

Divi-

Dividitur primò propositio categorica ratione materiæ in necessariam, contingentem, possibilem, & impossibilem: Necessaria, quæ enuntiat rem quæ ita se habet, nec aliter se habere potest: ut hæc. Homo est animal. *Contingens*, quæ ita actu se habet, sed aliter se habere potest: ut si de pariete qui reipsa afficitur albedine dicam, Paries est albus. *Possibilis*, quæ nec ita se habet actu, sed sic se habere potest: ut si de eodem pariete dicam, Paries est niger: *Impossibilis*, quæ nec ita se habet, nec ita se habere potest: ut, Homo est lapis.

Dividitur secundò ex parte formæ in Affirmativam & Negativam. Affirmativa est, quæ unum de alio affirmat, Negativa quæ negat. Et hæc divisio est essentialis & generis in species, similis illi quâ animal dividitur in hominem & brutum: sicut enim homo & brutum sunt species animalis, quia dividunt ipsum per rationale & irrationale secundum suam rationem formalem & ex æquo; ita affirmatio & negatio sunt species propositionis quia similiter eam dividunt secundum suam formalem & essentialem rationem, quæ consistit in enunciatione quæ essentialiter & ex æquo fit affirmando aut negando. Reliquæ verò propositionis divisiones, quæ non attenduntur penes rationem illius formalem, sed penes materiam, quantitatem aut qualitatem, non sunt essentiales.

Divi-

Dividitur *tertiò ex parte quantitatis in Universalem, particularem, indefinitam, & singularem. Universalis est cujus subjectum est terminus communis signo universali affectus:* ut, Omnis homo est animal, Nullus homo est lapis. *Particularis cujus subjectum est etiam terminus communis, sed signo particulari affectus:* ut, Aliquis homo est albus. *Indefinita, cujus subjectum, quod pariter terminus communis est, nullo afficitur signo:* & si quidem fuerit hujusmodi propositio in materia naturali aut impossibili æquivalet universali; si in materia contingenti aut possibili, æquivalet particulari. Singularis verò propositio est illa cujus subjectum est terminus singularis: ut Petrus est albus.

Dividitur quartò ratione qualitatis in veram & falsam. Propositio vera est quæ enunciat rem sicuti est: falsa, quæ aliter quam sit.

§. 2.

De propositionibus modalibus.

PRÆTEREA *propositio categorica alia est absoluta, alia Modalis. Absoluta quæ dicitur ab aliis propositio de inesse, est illa quæ absolutè enunciat prædicatum de subjecto, non exprimendo modum quo unum se habet ad aliud:* ut hæ: Homo est animal, Paries est albus,

bus. Album est nigrum, Homo est lapis. *Modalis verò est illa quæ non solum enunciat prædicatum de subjecto , sed etiam modum illum exprimit* ut istæ : Homo est necessariò animal, Paries est contingenter albus, Album est possibiliter nigrum, Homo est impossibiliter lapis : ubi per ly *necessariò*, *contingenter*, *possibiliter*, *impossibiliter*, exprimuntur modi quibus extrema illarum propositionum se habent inter se, designatur enim esse necessariam habitudinem seu connexionem animalis cum homine, contingentem albedinis cum pariete, possibilem nigredinis cum subjecto habente nunc albedinem, impossibilem lapidis cum homine, aut è contrà.

Unde constat quatuor esse modos quibus propositiones reddi possunt modales, juxta quadruplicem habitudinem extremorum, de qua superiori parag. quam modi illi exprimunt. *Modus ergò in proposito nihil aliud erit quàm vox exprimens & determinans habitudinem inter prædicatum & subjectum*, propositio modalis illa, quæ afficitur tali modo seu ut jam definivimus, ea quæ non solum enunciat unum de alio, sed etiam modum exprimit quo illa se habent inter se.

Dividitur autem propositio modalis in compositam & divisam.

Divisa dicitur ea, quæ exprimit modum quo se habent extrema divisim sumpta, j. *significatum formale unius ad significatum mate-*

materiale alterius: quod contingit quando modus effertur adverbialiter, ut in exemplis jam adductis, ibi enim necessariò, contingenter, & hujusmodi denotant habitudinem seu connexionem necessariam, contingentem, possibilem, aut impossibilem inter significatum formale prædicati & significatum materiale subjecti divisim & præcisè sumptum à significato formali ejusdem: ita ut ad veritatem hujus propositionis, Album possibiliter est nigrum (ut alias omittamus de quibus non est specialis difficultas) sufficiat quod nigredo possit inesse subjecto habenti albedinem, non conjunctim cum illa, sed divisim, j. illa amissa; seu quod subjectum album retineat cum albedine simul potentiam ad nigredinem, non simul habendam & eodem tempore, sed divisim & diverso tempore: quod est, ut nonnulli loquuntur, habere simultatem potentiæ, non potentiam simultatis.

Composita verò est ea quæ exprimit modum, quo se habent inter se extrema conjunctim sumpta secundum sua significata formalia: & est quando modus enunciatur nominaliter: ut in iisdem exemplis. Hominem esse animal est necesse, Parietem esse album est contingens, Album esse nigrum est possibile, Hominem esse lapidem est impossibile: ly enim necesse contingens, & hujusmodi, designant esse habitudinem & connexionem necessariam,

con-

contingentem, possibilem vel impossibilem inter significatum formale prædicati & significatum materiale subjecti simul ac habet formale, atque adeò inter significata ipsa formalia: ita ut ad veritatem istius v. g. Album esse nigrum est possibile, necessarium foret quod nigredo posset inesse subjecto habenti albedinem, non solum divisim ab illa, sed etiam conjunctim & illa remanente; seu quod subjectum album nō solum retineret simul cum albedine potentiam ad nigredinem divisim & diverso tempore habendam, sed simul & eodem tempore, quod esset habere non solum simultatem potentiæ, ut dicebamus de modali divisa, sed etiam potentiam simultatis.

Ex quibus infertur omnem modalem compositam facere sensum compositum, divisam divisum. Propositionem enim facere sensum compositum est componere seu unire extrema secundum sua significata formalia: facere verò sensum divisum est unire tantum significatum formale unius cum significato materiali alterius præcisè & divisim à formali. Primum autem facit modalis composita: hæc enim v. g. Album esse nigrum possibile est, unit nigredinem cum subjecto habente albedinem, simul & pro eodem tempore quo illam habet, atque adeo nigredinem cum albedine, ita ut sensus sit possibile esse quod album manens album sit nigrum. Secun-

dum

dum verò præstat divisa, ut patet in ista, album possibiliter est nigrum, ubi nigredo unitur aut significatur possibilis uniri cum materiali duntaxat albedinis, divisim ab ipsa albedine, ita ut sit sensus quod subjectum quod modo est album potest fieri nigrum, amittendo scilicet albedinem.

Ratio horum omnium sumitur ex diversa illa modi expressione: quando enim modus exprimitur adverbialiter, tunc cum more aliorum adverbiorum, adjaceat & applicetur ipsi verbo, quod de se juxta regulas appellationis, unit tantum formale prædicati cum materiali subjecti præcisè tunc inquam exprimit & designat solum unionem illorum divisim, quod est facere sensum divisum. Quādo autem exprimitur nominaliter (quo modo habet rationem prædicati respectu totius propositionis de inesse, ipsa verò locum subjecti, si non quoad voces, saltē quoad sensum; cum enim dico, Album esse nigrum est possibile, sive, Possibile est album esse nigrum, idem est ac si dicerem, Hæc propositio, seu, Hoc conjunctum, Album est nigrum, est possibile: & sic de aliis) tunc cum, juxta conditionem aliorum prædicatorum, applicet suum significatum subjecto proprio. j. toti propositioni de inesse, seu toti conjuncto ex prædicato & subjecto illius quæ ibi uniuntur pro eodem tempore ac subinde secundum significata formalia; consequenter exprimit & designat unionem

nem illorum conjunctim, quod est facere sensum compositum.

Quamvis autem res ista se habeat sicut diximus & ratio adducta convincit, omnem scilicet propositionem modalem compositam efficere sensum compositum determinatè, & divisam divisum, in rigore dialectico, subindeque absque ulla distinctione concedendæ aut negandæ essent: solent tamen scholastici utrasque in sensu composito & diviso distinguere, in unoq; sensu concedere, in altero negare. V.G. hæc propositio, Album esse nigrum est possibile, facit absolutè loquendo sensum compositum, conjungens nigredinem cum albedine, subindéque neganda absolute esset: nihilominus illam & alias similes sæpissimè distinguimus hoc modo: Album esse nigrum est possibile, in sensu composito j. habet potentiã ad habendam & componendam simul cum albedine nigredinem, nego: in sensu diviso j. habet potentiam ad habendam divisim ab albedine nigredinem, concedo. Pari modo distingui solet alia, Album possibiliter est nigrum, quamvis determinatè faciat sensum divisum, sitque absolutè vera. Hoc etiam modo distinguunt Thomistæ hanc compositam, Prædeterminatum ad consensum dissentire est possibile: & hanc divisam. Prædeterminatus an consensum possibiliter dissentit, seu potest dissentire: dicuntque utramque esse veram in sensu diviso, quia scili-

ſcilicet cum prædeterminatione ad conſen-
ſum remanet & ſtat in voluntate potentia ad
diſſentiendum; falſam verò in ſenſu com-
poſito, quia non poteſt diſſenſus poni ſimul
in voluntate cum conſenſu, ſubindéque nec
cum prædeterminatione ad conſenſum qui
ponitur ſtatim (liberè tamen) cum præde-
terminatione, de quo in Phyſica.

§. 3.

De propoſitionibus exponibilibus.

PRÆTEREA *adhuc propoſitio Catego-
rica alia eſt Exponibilis, quæ ſcilicet ratio-
e alicuius dictionis obſcura in ipſa incluſa ob-
urum habet ſenſum; alia Exponens, quæ il-
m exponit per particulas clariores explicantes
ctionem illam quæ obſcura erat.*

*Propoſitio Exponibilis potiſſimum eſt tri-
ex, nempe Excluſiva, Exceptiva, & Redu-
icativa: quibus totidem correſpondent expo-
ntes.*

*Excluſiva eſt illa quâ afficitur aliqua par-
ula excludente, puta, Tantum, Duntaxat,
lum:* Quæ particula, ſi ponatur ex par-
ſubjecti, excludit omne aliud ſubje-
um à participatione prædicati: ut cum
co, Homo tantum eſt rationalis: cujus
ponens eſt iſta compoſita, Homo eſt ra-
nalis, & nihil aliud ab homine eſt ratio-

nale. Si autem se teneat ex parte prædicati, tunc excludit à subjecto omnia alia prædicata cum isto non connexa: ut si dicas, Homo est tantum rationalis, cujus exponens est hæc, Homo est rationalis, & nihil aliud est nisi rationalis, per quod non excluditur risibilitas, nec alia cum rationali connexa.

Exceptiva est ea quæ modificatur seu afficitur dictione exceptiva, puta præter, aut similibus: diciturque exceptiva, quia à subjecto communi distributivè sumpto aliquid excipit: ut, Omne animal præter hominem est irrationale: quæ duobus modis exponi potest; primo si loco particulæ, præter, ponatur ly Excepto, dicendo, Omne animal excepto homine est irrationale: Secundo per copulam implicationis, hoc modo, Omne animal quod non homo, est irrationale.

Reduplicativa tandem est illa quæ afficitur aliqua particula reduplicante. i. duplicante subjectum vel prædicatum, quales sunt istæ dictiones, Inquantum, Quatenus, Prout, Secundum quod. Et siquidem particulæ illæ reduplicent causam cur prædicatum conveniat subjecto, ut fit in hoc exemplo. Homo Inquantum rationalis, est risibilis, debet tunc propositio reduplicativa exponi per particulam causalem, *quia* hoc modo: Quia homo est rationalis, est risibilis. Si verò non reduplicent causam, sed tantum rationem forma-

malem sub qua prædicatum convenit subjecto, ut in hoc exemplo. Paries in quantum coloratus est visibilis, debet exponi particula illa *ratione*, vel *sub ratione formali*, hoc modo. Paries est visibilis ratione coloris, vel sub ratione formali colorati. Si denique reduplicet tantum rationem materialem (quod est particulas illas non sumi propriè reduplicativè, sed ut ajunt specificativè) ut si dicas, Æthiops in quantum homo est niger, exponenda est propositio hoc modo, Æthiops quantum ad id quod est homo est niger: ita ut denotetur rationem hominis esse rationem materialem quæ afficitur albedine aut recipit illam, non verò rationem formalem recipiendi eam, in quo sensu qui est propriè reduplicativ⁹, falsa esset propositio; cum tamen concedi debeat in priori qui est specificativus, nec omnino materialis, ut nonnulli existimant exponentes præfatam propositionem hoc modo, Æthiops qui est homo est niger: sicut cùm dicitur, Album est dulce, explicatur sic, subjectum quod alias est affectum albedine, est dulce: quod dici nequit, cum juxta dicta de appellatione in hac quidem posteriori propositione prædicatum appellet & applicet suum significatum supra materiale subjecti, in priori autem supra formale, subindéque non debet sic resolvi sicut illa.

Adverte tamen prædictas particulas, Inquantum, Secundùm quod, & similes,

interdum non sumi nec reduplicativè, nec specificativè sensu explicato, sed diminutivè, ut in hac propositione, Æthiops est albus secundum dentes.

Vbi nota, non esse opus expressione hujusmodi particulæ diminutivæ, quando juxta communem sensum subintelligitur, & indubitatum est apud omnes prædicatum attribui subjecto ratione partis tantùm: unde absolutè dicimus Petrum esse crispum, nec addimus, secundum capillos, quia constans est crispitudinem non attribui illi nisi ratione capillorum: eadem de causa absolutè & sine addito dicimus Christum esse passum, mortuum, crucifixum, quia indubitatum est ea convenire & attribui ipsi ratione humanitatis tantùm. Quando autem dubium esse posset an prædicatum conveniat & attribuatur subjecto ratione totius, vel tantùm ratione partis, tunc si conveniat solùm ratione partis, addenda & exprimenda est particula diminuens: & ideò quia albedo indifferenter afficere potest vel totum hominem, vel solam partem, puta dentes, si in dentibus tantùm inveniretur, non esset dicendus absolutè homo albus, sed cum hoc addito, secundum dentes: ob eandem rationem non dicimus absolutè, Christus est factus, est creatura, est minor Patre, incepit esse, sed solùm cum addito diminuente, secundum humanitatem: quia occasione erroris Arianorum, qui dixerunt Christum esse creaturã,

ince-

incepisse esse, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione personæ, dubium suboriri posset utrum prædicata illa attribuerentur Christo ratione humanitatis tantum vel etiam ratione personæ.

SECTIO II.

De proprietatibus propositionis, & primò de oppositione.

PRIMA *proprietas propositionis, non quidem physica, vel quasi physica* (quæ est veritas aut falsitas, sive significatio veri aut falsi) sed *Logicalis, est oppositio cum altera;* quælibet enim propositio habet aliam sibi oppositam quæ negat illud idem quod ipsa affirmat, aut è contra: unde

Oppositio propositionum definitur Affirmatio & negatio ejusdem de eodem; sive repugnantia inter propositionem affirmativam & negativam ejusdem prædicati & subjecti. Ex quibus infertur ad veram oppositionem duarum propositionum requiri duas conditiones: *prima est quòd utraque constet eodem prædicato & subjecto, eodem, inquam, & quoad voces & quoad sensum, ita ut si vel minimum va-*

rietur sensus, tollatur oppositio: secunda est quod una illarum sit affirmativa, altera negativa, ita ut quod una ponit & affirmat, altera neget & removeat.

Est autem quadruplex Oppositio, Contradictoria, Contraria, Subcontraria & Subalterna.

Contradictoria Oppositio est repugnantia inter duas propositiones de eodem subjecto & prædicato, quarum una est affirmativa, altera negativa, una universalis, altera particularis, (saltem sub conditione,) V. G. Omnis homo est justus, Aliquis homo non est justus: item, Nullus homo est justus, Aliquis homo est justus. Addidi *(saltem sub conditione)* ut indicarem non esse absolutè & generaliter loquendo necessarium ad veram contradictionem quòd una propositio sit universalis & altera particularis; sed tantùm sub conditione, id est, si una sit universalis necesse est quod altera sit particularis, & è contra. Quod autem non sit absolutè necessarium, patet in his propositionibus quæ sunt contradictoriæ, quamvis non sint propriè universales aut particulares: v. g. Omnes Apostoli sunt duodecim, Omnes Apostoli non sunt duodecim: Homo est species, Homo non est species: Petrus est justus, Petrus non est justus.

Regula pro contradictoriis est, eas in nulla prorsus materia posse esse simul veras, aut simul falsas. Ratio est quia aliàs idem

idem esset & non esset; V. G. idem homo esset justus, si hæc sit vera, Omnis homo est justus, & non esset justus, si hæc pariter esset vera; Aliquis homo non est justus. Quod idem sequeretur si utraque sit falsa. nam si hæc falsa sit, Omnis homo est justus ideò est quia datur aliquis homo qui non est justus; & tamen non daretur aliquis qui non sit justus, si falsa sit etiam ista præcedenti contradictoria, Aliquis homo non est justus.

Contraria Oppositio est repugnantia inter duas propositiones ejusdem prædicati & subjecti, quarum una est affirmativa, altera negativa, & ambæ universales: ut, Omnis homo est justus. Nullus homo est justus.

Regula pro contrariis est, eas in nulla quidem materia posse esse simul veras, benè tamen simul falsas in materia contingenti. Prima pars hujus regulæ constat, quia alias etiam idem esset & non esset: puta idem homo esset justus, & non esset justus; esset, si hæc sit vera, Omnis homo est justus; non esset, si pariter vera sit hæc, Nullus homo est justus. *Secunda verò pars patet* eodem exemplo, nam falsum est quod omnis homo sit justus, & falsum pariter quod nullus sit justus: nec sequitur præfatum inconveniens, quia ex hoc quod ambæ sint falsæ, non sequitur quod idem sit justus, & idem non

fit.

fit, sed quod aliquis sit, & aliquis (alius) non sit.

Subcontraria est Repugnantia inter duas propositiones de eodem prædicato & subjecto, quarum una est affirmativa, altera negativa, & ambæ particulares: ut, Aliquis homo est justus. Aliquis homo non est justus.

Regula pro subcontrariis est, illas posse esse simul veras, non tamen simul falsas. Prima pars constat in exemplo adducto. Secunda etiam est evidens, quia si illæ duæ essent falsæ, contradictoriæ illarum essent veræ, nempe, Nullus homo est justus, Omnis homo est justus, juxta regulam pro contradictoriis assignatam. & cùm hæc inter se collatæ sint contrariæ, darentur jam duæ contrariæ simul veræ, quod regulæ contrariarum repugnat.

Subalterna denique est Repugnantia inter duas propositiones ejusdem prædicati & subjecti, penes hoc solùm quod una est universalis, altera particularis: ut, Omnis homo est justus, Aliquis homo est justus: item, Nullus homo est justus. Aliquis homo non est justus. Unde hæc non est propriè oppositio quæ consistit essentialiter in affirmatione & negatione ejusdem de eodem, subalternans autem & subalternata sunt ambæ affirmativæ, aut negativæ.

Regula pro istis est, quod si subalternans

nans & subalternata sint in materia naturali, & una sit vera, altera etiam erit vera: & idem de falsitate dicendum: in materia verò contingenti universalis potest esse falsa, particularis autem vera. Hæc omnia oculis subjicit tabella sequens.

Omnis homo est animal.		Nullus homo est animal.
Omnis homo est lapis.	*CONTRARIÆ*	Nullus homo est lapis.
Omnis homo est justus.		Nullus homo est justus.

SVBALTERNÆ — CONTRA DI CTORIÆ — CONTRA DI CTORIÆ — SVBALTERNÆ

Aliquis homo est animal.		Aliquis homo non est animal.
Aliquis homo est lapis.	*SVBCONTRARIÆ.*	Aliquis homo nõ est lapis.
Aliquis homo est justus.		Aliquis homo non est justus

Cæterum harum omnium oppositionum maxima est contradictoria. Etenim tantò major est oppositio, quanto minor

convenientia inter extrema : atqui inter propositiones contradictorias minor reperitur convenientia, quàm inter cæteras, siquidem conveniunt in sola materia, i. in terminis, quod est necesse ad oppositionem propositionum ut suprà docuimus ; differunt verò tùm in forma, cùm una illarum sit affirmativa & altera negativa : tum in quantitate, nam si una est universalis, altera debet esse particularis : tum denique in qualitate, siquidem una existente vera, altera necessariò debet esse falsa : Aliæ verò propositiones oppositæ magis conveniunt, non enim conveniunt solùm in materia, sicut cōtradictoriæ, sed etiam vel in quantitate & qualitate, ut contrariæ quæ sunt ambæ universales, & possunt simul esse falsæ : & subcontrariæ quæ sunt ambæ particulares, & simul possunt esse veræ : vel etiam in forma j. in affirmatione aut negatione, ut subalternæ.

§. I.

De Æquipollentia & Conversione Propositionum.

SECUNDA *proprietas propositionis est Æquipollentia unius cum altera* : sicut enim quælibet propositio habet alteram sibi oppositam ita & æquipollentem, *qua nihil aliud est quam ipsamet propositio opposita qua-*

quatenus per æquipollentiam signi, quo afficitur ex particula negativa provenientem, fit æquivalens alteri, Unde

Æquipollentia definitur eadem vis sive sensus propositionum oppositarum ex æquivalentia signorum proveniens.

Ad reddenda autem signa æquivalentia, subindeque & ipsas propositiones oppositas æquivalentes, observandus est iste versiculus

Præ contradict. Post contrar. Præ, Postque subaltern.

Id est: Præpone contradictoriæ seu ipsius subjecto negationem, si velis eam alteri reddere æquipollentem: Postpone verò contrariæ & subcontrariæ (quæ utraque intelligitur per illam particulam Post contrar.) præpone autem & postpone subalternæ. Habes exempla omnium hujusmodi oppositionum in schemate suprà posito, appone solam negationem juxta præscriptum hujus regulæ ante vel post subjectum integrum, (quod in illis exemplis est ly Omnis homo, Nullus homo, Aliquis homo, &c.) cernes æquipollentiam.

Ratio horum est, quia particula negativa, cum sit malignantis naturæ, destruit totum quod post se reperit: unde præfixa signo universali affirmativo (v. g. isti, Omnis,) destruit ejus universalitatem & affirmationem, facitque ipsum particulare

negativum, ita ut idem sit, Non omnis, ac Aliquis non. Econtra si præponatur particulari negativo, destruit particularitatem & negationem, facitque universale affirmativum, ita ut idem sit, Non aliquis non ac, Omnis. Idem proportionaliter dic si præponatur universali negativo quod efficit particulare affirmativum, idem enim est. Non nullus, ac Aliquis; vel particulari affirmativo quod è contra reddit universale negativum, Non aliquis enim idem valet ac Nullus. Quod si particula illa negativa postponatur signo, relinquit ipsum in sua universalitate aut particularitate & destruit tantum affirmationem si erat affirmativum, vel negationem si negativum, quia scilicet censetur semper antecedere ipsam affirmationem aut negationem signi, utpote quæ cadit supra copulam quam antecedit.

Ex quibus habes æquipollentiam propositionum provenire immediatè ex æquipollentia signorum, mediatè ex particula illa negativa per quam signa fiunt æquipollentia.

Tertia & ultima Proprietas Propositionis est Conversio in aliam, quæ definitur Mutatio unius propositionis in aliam per solam transpositionem prædicati in subjectum, & subjecti in prædicatum, servata eadem forma propositionis, & qualitate, i. eadem affirmatione aut negatione,

veri-

veritate vel falsitate: ut, Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. Ex quo patet conversionem debere fieri per illationem, ita ut legitima sit conversio quotiescunque propositio convertens recte infertur ex conversa.

Duplex autem est Conversio generaliter loquendo, alia Conversio in terminis, alia per Contrapositionem terminorum. Conversio in terminis est mutatio prædicati in subjectum, & subjecti in prædicatum, servatis eisdem terminis, eademque forma & qualitate propositionis, ut, Nullus homo est lapis, ergo Nullus lapis est homo: &: Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. *Conversio verò per Contrapositionem est mutatio prædicati in subjectum & subjecti in prædicatum, servatâ quidem eadem formâ & quantitate propositionis, sed mutatis terminis finitis in infinitos, & vice versa*: ut, Omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo, &: Aliquod animal non est homo, ergo aliquod non homo non est non animal. Relicta hac quæ non est proprie conversio, cùm in ea potius destruantur extrema quàm transponantur.

Conversio in terminis, quæ nomine conversionis absolutè venit intelligenda, *alia est simplex, alia per Accidens. Conversio simplex, quæ dicitur conversio in totum, est quando servatur eadem quantitas in convertente quæ erat in conversa*: ut in illo exemplo, Nul-

lus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. *Conversio autem per accidens, qua etiam dicitur conversio in partem, est quando non retinetur eadem quantitas*; ut in illo exemplo superius etiam adducto, Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.

Quanam verò dictarum conversionum debeant propositiones converti, jam habes regulam superius insinuatam, debent enim converti ea conversione qua propositio convertens recte inferatur ex conversa. Si tamen speciales pro singulis optes regulis, habes in his versibus.

> Feci *simpliciter*, *convertitur* eva *per accid.*
> *Asto per contrap. Sic fit conversio tota.*

Ubi nota has tres voces *Feci*, *eva*, *asto*, & in illis quatuor vocales. A designat propositionem universalem affirmativam, E. universalem negativam, I. particularem affirmativam, O particularem negativam: juxta sensum horum versuum

> *Asserit A. negat E. sumpta generaliter amba:*
> *Asserit I. negat O. sunt particulariter ambo.*

Sensus ergo illorum versuum. *Feci simpliciter* &c. est, universalem negativam posse ad libitum converti, vel conversione simplici, vel per accidens: universalem affirmativam etiam pro arbitrio converti posse vel per accidens, vel per contrapositionem: particularem affirmativam simpliciter tantùm;

tum: negativam, solùm per contrapositionem. Ratio est quia his modis convertens benè sequitur ex conversa, & non aliter, ut in exemplis adductis experiri potes.

§. 2.

Applicatur modalibus pracedens doctrina.

CONSTAT *inprimis oppositionem, aquipollentiam, & conversionem eodem modo habere locum in modalibus divisis, quo in propositionibus absolutis seu non modalibus, cum eandem servent dispositionem.*

Quoad oppositionem verò modalium compositarum inprimis censeo nullam inter illas propriè habere locum nisi contradictoriam. Ratio est quia omnes aliæ oppositiones sunt inter propositiones universales aut particulares: modales autem compositæ videntur quoad sensum & formaliter loquendo omnes singulares, eo quod in illis modus prædicetur de tota propositione de inesse veluti de uno quodam singulari: quod constat ex dictis sect. præcedenti §. 2. cùm enim dicitur, Omnem hominem esse animal est necesse: idem plane est ac si diceretur, Hæc propositio. Omnis homo est animal, est necessaria, seu, Hoc coniunctum, Omnis &c. est necessarium: ubi ut patet ly necessaria aut necessa-

necessarium prædicatur de illa propositione absoluta seu de inesse, Omnis homo est animal, tanquam de uno aliquo individuo seu singulari designato per ly Hoc: ita ut universalitas propositionis de inesse se habeat ibi merè materialiter. Atque ita cùm propositio singularis sit ea quæ constat subjecto singulari, omnes modales compositæ erunt hoc pacto singulares, subindeque inter illas non habebit locum nisi ea oppositio quæ reperitur inter singulares, quæ est sola contradictoria. Unde sicut per hoc præcisè dicuntur contradictoriè opponi singulares absolutæ, quod in una affirmetur copula & prædicatum, in altera verò negetur; sic & modales compositæ tunc erunt contradictoriæ, quando absque ulla alia prorsus variatione in una affirmabitur copula principalis & modus qui est prædicatum, in altera verò negabitur: ut, Omnem hominem esse animal est necesse, Omnem hominem esse animal non est necesse. Dixi (copula principalis) quia sicut penes illam attenditur simpliciter affirmatio aut negatio propositionis, & non penes copulam implicationis & minus principalem, ita & oppositio: unde istæ non sunt oppositæ in quantum modales. Omnem hominem esse animal est necesse, Omnem hominem non esse animal est necesse, quia copula principalis & modus in utraque affirmatur. Si quæras, quomodo istæ opponantur, Hominem esse animal est necess-

necesse, Hominem esse animal est contingens, vel, est impossibile: Respondeo non opponi formaliter oppositione propositionum, quia formaliter omnes sunt affirmativæ, sed oppositione rerum (de qua in postprædicamentis) sicut istæ, Paries est albus, Paries est niger; quia scilicet habent prædicata opposita. Virtualiter tamen dici possunt oppositæ oppositione etiam propositionum, nempe contradictoriâ, quatenus una virtualiter negat quod altera asserit.

Dices, Modus, Necesse, æquivalet huic signo, Omnis: Possibile æquivalet huic, Aliquis, &c. Ergo modales erunt formaliter universales. aut particulares, subindeque aliæ inter ipsas reperientur oppositiones quàm contradictoria.

Respondeo æquivalere quoad affirmationem vel negationem, & non quoad quantitatem i. universalitatem aut particularitatem: præsertim quia quantitas semper se tenet ex parte subjecti, isti autem modi habent locum prædicati.


Quoad æquipollentiam veri & conversionem, apparet illam nullatenus habere locum in hujusmodi modalibus compositis: non inprimis æquipollentiam, hæc enim est eadem vis seu idem sensus propositionum ex æquipollentia signorum proveniens; cùm ergo in modalibus compositis non attendantur formaliter signa, non erit etiam in eis æquipollentia: sed nec conversio, hæc siquidem est

trans-

transmutatio prædicati in subiectum, & è contra, quæ in his modalibus nusquam fieri potest, cùm modus semper, quoad sensum, teneat locum prædicati, ut supra diximus, etsi quoad voces statuatur loco subjecti.



TER-



TERTIA PARS

DE ARGUMENTATIONE.

SECTIO I.

De natura argumentationis, eiusque speciebus.

ARGUMENTATIO, ut in prolegomenis definimus, *est Oratio in qua unum ex alio infertur:* unde tria in argumentatione distingui debent: primum est illud ex quo aliud infertur, quod dicitur antecedens: secundum est illud quod infertur, quod appellatur consequens. tertium est illatio, & vocatur consequentia, in qua consistit formale argumentationis.

Unde

Unde quia triplex est nota illationis, *triplex est etiam argumentatio in genere. Prima est conditionalis, in qua illatio fit mediâ particulâ Si:* ut, Si homo haberet alas posset volare. *Secunda causalis, in qua fit mediâ particulâ Quia, aut simili:* ut, Quia homo est rationalis, ideo est risibilis. *Tertia verò est rationalis quæ infert per particularem Ergo*, subindeque definitur oratio in qua unum ex alio infertur mediâ hujusmodi particulâ rationali: ut, Petrus est rationalis, ergo est risibilis. Omissa autem argumentatione conditionali nec non causali, quarum rarior est usus,

Argumentatio Rationalis subdividitur in Syllogismum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum.

Syllogismus est Argumentatio in qua ex antecedente uniente duo extrema cum medio aliquo, infertur consequens uniens illa inter se. V. G. hæc argumentatio est syllogismus. Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis: quia ex hoc antecedente (Omne rationale est risibile, Omnis homo est rationalis) in quo homo & risibilis uniuntur cum rationali, infert hoc consequens (Omnis homo est risibilis) in quo uniuntur inter se. Ex quibus intelligitur trita illa definitio syllogismi ab Aristotele tradita. *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud quippiam necessariò evenit (seu sequitur) eo quod hæc sunt:* sensus enim est syllogismum esse argumentationem, in qua positis duabus propo-

propositionibus unientibus duo aliqua extrema cum uno medio, sequitur necessariò & ex vi illius unionis alia propositio uniens eadem extrema inter se: ut patet in exemplo adducto.

Enthymema verò est Argumentatio in qua infertur consequens uniens duo aliqua extrema inter se, ex antecedente uniente alterum duntaxat, cum uno medio seu tertio. V. G. hæc argumentatio appellatur enthymema, Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis: quia infert hoc consequens (Omnis homo est risibilis) uniens hominem & risibilem inter se, ex illo antecedente, (Omnis homo est rationalis) in quo homo dumtaxat unitur cum rationali ut cum tertio aut medio. Ex quibus.

Inferes 1. *Enthymema esse reipsa Syllogismum, sed imperfectum, & ut loquitur D. Th. detruncatum:* ita ut non differat specie ab illo, sed solùm sicut imperfectum differt à perfecto intra eandem speciem, v. g. puer à viro.

Ratio primæ partis est, quia Enthymema habet partim explicitè, partim implicitè illud idem quod syllogismus: explicitè enim unit unum extremum conclusionis cum medio in antecedente, quod est unica propositio expressa, implicitè verò aliud in altera quæ subticetur. In hoc enim enthymemate, Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, subticetur,

brevitatis causa, prima propositio, nempe, Omne rationale est risibile, quæ in syllogismo exprimebatur. Ergo non differunt essentialiter & specificè syllogismus & enthymema.

Ratio verò secundæ partis est evidens: quia Enthymemati deest perfectio syllogismi, nempe altera propositio ex parte antecedentis seu quod idem est, expressa & explicita unio amborum extremorum cum medio, quæ reperitur in syllogismo, ex quo oritur (ut inferius explicabimus) quod concesso antecedente syllogismi, seu eius præmissis, negari nequit consecutio, bene autem consecutio enthymematis: Ergo est syllogismus tantùm imperfectus & truncatus.

Inferes 2. quid agendum sit, quando concesso antecedente enthymematis negatur consequentia, tunc enim oportet tantùm formare syllogismum perfectum & integrum, addendo illam alteram propositionem quæ in enthymemate suppressa fuerat. Habes exemplum in præcedenti consectario.

Inductio autem est Argumentatio in qua ex antecedente particularia sufficienter enumerante infertur universale: vel è contra ex universali inferuntur particularia: ut si dicas. Hic homo est rationalis, & ille est rationalis, & ille &c. ergo omnis homo est rationalis: & hæc species inductionis dicitur ascensus, quia à particularibus inferioribus ascenditur

ditur ad universale superius: altera verò, quæ ex opposito ab universali descenditur ad particularia, appellatur descensus, ut si dicas, Omnis homo est rationalis, ergo & hic est rationalis, & ille est, &c.

Exemplum denique est Argumentatio in qua ex antecedente unum vel pauca singularia adducente, infertur aliud duntaxat singulare, ut si dicas, Deus pepercit Magdalenæ pœnitenti aut Divo Petro, ergo parcet & tibi si pœnitentiam egeris. Unde habes quod sicut enthymema non differt specie à syllogismo, sed sicut imperfectum à perfecto; ita Exemplum ab Inductione, quia scilicet exemplum non enumerat sufficienter singularia ad concludendum universale, sicut inductio, ideoque propter illam insufficientem enumerationem exemplum dici potest imperfecta inductio, sicut enthymema imperfectus syllogismus.

Sed quæres quomodo inductio & exemplum differant à syllogismo & enthymemate? Respondeo differre essentialiter & specie; quia habent diversam formam & dispositionem; syllogismus enim & enthymema ex unione extremorum cum medio inferunt unionem illorum inter se: inductio verò & exemplum non ita, sed ex enumeratione singularium inferunt alia singularia, vel universale. aut è contra.

Ex illis verò omnibus argumentationibus solus syllogismus dicitur & est argumenta-

mentatio formalis, eò quod ex vi formæ seu dispositionis extremorum cum medio factæ (expressè) in antecedente, vel præmissis, ita infert conclusionem seu unionem extremorum inter se, ut illis concessis hæc negari non possit. *cuius ratio est*, quia iam negaretur in conclusione quod virtualiter & æquivalenter concessum fuit in antecedente seu præmissis, formaliter enim concessa fuit ibi unio duorum extremorum cum medio, quæ est virtualiter & æquivalenter unio eorumdem inter se. juxta illud. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ceteræ verò argumentationes dicuntur materiales defectu hujusmodi formæ & dispositionis, quia scilicet in illis, quamvis consequens rectè sequatur ex antecedente vi materiæ seu connexionis quam reipsa habet cum illo, non tamen vi formæ seu dispositionis, ita quòd antecedente concesso negari non possit.

Prima regula pro bona argumentatione quacunque, est, quòd ex antecedente vero semper sequitur consequens verum, & nunquam falsum. Ratio est quia illud solùm legitimè infertur ex antecedenti, quod habet connexionem cum illo: cum vero autem non habet connexionem nisi verum: ergo nequit ex vero inferri nisi verum.

Unde habes legitimum esse hunc arguendi modum: Antecedens est verum, ergo & consequens; similiter istum. Consequens

sequens est falsum, ergo & antecedens. Quandoquidem ex vero non sequitur falsum, ut diximus.

Secunda regula est, ex antecedente falsò sequi consequens falsum per se, licet possit sequi verum per accidens. Ratio primæ partis est eadem quæ præcedentis regulæ, quia cum falso non habet connexionem per se nisi falsum: ergo illud solùm per se sequitur. *Secunda verò pars constat* hoc exemplo & similibus: Omnis lapis est animal, Omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal: ubi ex antecedente seu præmissis falsis infertur consequens verum per accidens: ita ut inferatur quidem per se ex illis, sed non sit verum per se ut ex illis infertur, seu ex vi illarum, sed per accidens & aliunde, quia aliunde verum est quod homo sit animal.

Ex quibus habes hos arguendi modos non esse semper legitimos: Antecedens est falsũ, ergo & consequens: & : Consequens est verum, ergo & antecedens. Quandoquidem ex falso antecedente potest inferri consequens verum saltem per accidens.

Tertia regula est, conclusionem semper debere sequi debiliorem partem: ita ut si in syllogismo altera præmissarum sit universalis, altera particularis, conclusio debeat esse particularis: si una affirmativa, altera negativa, conclusio pariter debeat esse negativa: ut, Nullum irrationale est risibile, aliquod animal est ir-

rationale, ergo aliquod animal non est risibile. *Ratio huius regulæ est*, quia duæ præmissæ sunt quasi duæ causæ subordinatæ ipsius conclusionis: in causis autem subordinatis effectus sequitur debiliorem partem, ut patet in sole & aliis causis universalibus, quæ cum particularibus debilibus operantur debiliter, cum fortibus fortiter.

SECTIO II.

De syllogismo specialiter.

DE aliis argumentationis speciebus nihil superest dicendum, sed tantùm de syllogismo, cuius definitionem supra adduximus & explicuimus: ut verò illius naturam melius percipias, examinanda est hic inprimis eius materia & forma ex quibus coalescit ut compositum quoddam rationis.

Materia autem syllogismi alia est proxima, alia remota. Proxima est ex qua immediatè componitur, nempe propositiones: Remota, ex qua mediatè, scilicet termini qui propositiones componunt, & illis mediantibus syllogismum.

Termini debent esse tres, & totidem propositiones ex eorum bina cujusque repetitione coalescentes, Debent enim esse inprimis duo termini con-

ni conclusionis inferendæ (puta hujus, Homo est risibilis) quorum unus, nempe prædicatum, dicitur majus extremum, alter, scilicet subjectum, minus extremum: tum medius terminus, qui absolutè appellatur medium, (puta rationale) cum quo illa duo extrema uniuntur, ut ex illa unione cum medio inferatur postea unio eorundem inter se. Quæ fieri nequeunt, nisi in tribus propositionibus, in quarum prima majus extremum uniatur cum medio, quæ propterea major propositio appellatur; in secunda minus extremum, quæ inde minoris nomen sortitur; in tertia denique concludatur illorum extremorum inter se unio, quæ hac de causa conclusio nominatur, Patent hæc omnia in isto exemplo iam insinuato.

Omne rationale est risibile:
Omnis homo est rationalis:
Ergo omnis homo est risibilis:

Ex quibus inferes primò definitiones prædictorum terminorum & propositionum. *Majus enim extremum est prædicatum conclusionis: minus extremum est subjectum eiusdem: medium est terminus cum quo illa extrema uniuntur. Maior est propositio in quâ majus extremum unitur cum medio: minor est illa in qua minus extremum unitur cum eodem: conclusio in qua illa extrema uniuntur inter se.*

Inferes secundò quemlibet terminum bis & non pluries repetendum esse, medium

quidem in duabus præmissis in quibus unitur cum utroque extremo, & ideò non debet repeti in conclusione: singula verò extrema semel in præmissis, & iterum in conclusione, in qua inter se uniri debent.

Forma verò syllogismi est dispositio materiæ tū proximæ tum remotæ (j. terminorum & propositionum) ordinata ad concludendum. Unde duplex est: *altera correspondens materiæ remotæ, & vocatur Figura syllogistica, quæ est dispositio extremorum cum medio: altera correspondens materiæ proximæ, & dicitur Modus syllogisticus, qui est dispositio propositionum, soletque absolutè intelligi nomine formæ syllogismi cum dicimus syllogismum esse aut non esse in forma & figura.* De his in sequentibus.

§. I.

De Figuris & Modis possibilibus Syllogismorum.

FIGURA *ergo syllogistica, generaliter loquendo, est dispositio seu combinatio extremorum cum medio, quantum ad prædicationem vel subjectionem, ordinata ad concludendam eorundem extremorum inter se unionem.*

Unde quia possibilis est quadruplex combinatio diversa extremorum cum medio, aut medii cum extremis: una, quâ medium subiiciatur majori extremo & de minori prædicetur:

tur:

tur: altera, quâ è contra prædicetur de majori extremo, & minori subiiciatur: tertia, quâ prædicetur de utroque: quarta, quâ utrique subiiciatur: ideò quadruplex etiam possibilis est figura syllogistica. Exempla cujusque statim afferemus.

Modus verò syllogisticus, ut etiam supra insinuavimus, si universaliter loquamur, est dispositio seu combinatio propositionum syllogismi, quantum ad affirmationem vel negationem, universalitatem vel particularitatem, ordinata ad concludendum.

Et quia talis propositionum combinatio sexdecim diversis modis fieri potest in unaquaque figura (j. servata eadem dispositione extremorum cum medio quoad prædicationem, & subjectionem;) ideò sexdecim etiam dicuntur esse possibiles modi syllogismorum in qualibet illarum figurarum.

Hæc omnia oculis subiicit sequens tabula, in qua diversæ præmissarum combinationes designantur per diversas combinationes vocalium A, E, I, O, quæ propositiones universales vel particulares, affirmativas vel negativas denotant juxta dicta superius *Par. 2. Sect. 2. §. 1.*

TABVLA
Figurarum & modorum poſsibilium.

Quot ſint	Combinationes	Prima Figura.	Modi directi	Modi indirecti
1	A A	Omne animal eſt ſenſibile: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt ſenſibilis. *Vel.* Ergo aliquod ſenſibile eſt homo.	*Bar-ba-ra*	*Ba-ra-lip-ton*
2	A E	Omne animal eſt ſubſtantia: Nullus lapis eſt animal: Ergo nullus lapis eſt ſubſtantia. *Vel.* Ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.		*Fa-peſ-mo.*
3	A I	Omne animal eſt ſenſibile: Aliquis homo eſt animal: Etgo aliquis homo eſt ſenſibilis. *Vel,* Ergo aliquod ſenſibile eſt homo.	*Da-ri-i*	*Da-bi-tis.*
4	A O	Omne animal eſt ſubſtantia: Aliquis lapis non eſt animal: Ergo aliquis lapis non eſt		

	substantia.		
5	E Nullum animal est lapis: A Omnis homo est animal: Ergo nullus homo est lapis. *Vel.* Ergo nullus lapis est homo.	*Celarent.*	*Celantes.*
6	E Nullus lapis est animal: I Nullus homo est lapis: Ergo nullus homo est animal.		
7	E Nullum animal est lapis: I Aliquis homo est animal: Ergo aliquis homo non est lapis.	*Ferio.*	
8	E Nullus lapis est animal: O Aliquis homo non est lapis: Ergo aliquis homo non est animal.		
9	I Aliquod animal est rationale: A Omnis equus est animal: Ergo aliquis equus est rationalis.		
10	I Aliquod animal est substantia. E Nullus lapis est animal: Ergo aliquis lapis non est substantia. *Vel* Ergo aliqua substantia non est lapis.		*Frisesomorum.*

11 I Aliquod animal eſt rationale:
I Aliquis equus eſt animal:
Ergo aliquis equus eſt rationalis.

I Aliquod animal eſt ſubſtantia:
12 O Aliquis lapis non eſt animal:
Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.

13 O Aliquod animal non eſt rationale:
A Omnis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo non eſt rationalis.

14 O Aliquis lapis non eſt animal:
E Nullus homo eſt lapis:
Ergo aliquis homo non eſt animal.

15 O Aliquod animal non eſt rationale.
I Aliquis homo eſt animal:
Ergo aliquis humo non eſt rationalis.

16 O Aliquis lapis non eſt animal:
O Aliquis homo non eſt lapis:
Ergo aliquis homo non eſt animal.

SE-

SECVNDA FIGVRA
(*inter utiles nulla, vel à prima indistincta.*)

	A Omnis homo est animal: 2	*Ba-*	*ra-*
1	A Omne animal est sensibile: 1	*Bar-*	*Ba-*
	Ergo omne sensibile est homo. *Vel.*		
	Ergo omnis homo est sensibilis. *Vel* 3	*ra.*	
	Ergo aliquod sensibile est homo.		*lip.* 3 ton
2	A Omnis homo est animal: 2	*la-*	*lã-* 2
	E Nullum animal est lapis: 1	*Ce-*	*Co-* 1
	Ergo nullus lapis est homo. *Vel*		
	Ergo nullus homo est lapis 3	*rent.*	*tes* 3
3	A Omnis homo est animal:		
	I Aliquod animal est irrationale:		
	Ergo aliquod irrationale est homo.		
4	A Omne rationale est animal:		
	O Aliquod animal non est homo:		
	Ergo aliquis homo non est rationalis.		
	Nullus lapis est animal: (tia:		
5	E A Omne animal est substã-		
	Ergo nulla substantia est lapis.		
	E Nullus homo est lapis:		

6 E Nullus lapis est animal.
Ergo nullum animal est homo.

E Nullus lapis est animal:
Vel
7 I Nullum animal est lapis: *Fe-*
Aliquod animal est substantia: *Vel*
Aliqua substantia est animal: *ri-o.*
Ergo aliqua substantia non est lapis.

E Nullum animal est lapis:
8 O Aliquis lapis nõ est homo:
Ergo aliquis homo non est animal.

I Aliquod rationale est animal: 2 *ri-* *bi-* 2
9 A Omne animal est sensibile: 1 *Da-* *Da* 1 *tis.* 3
Ergo aliquod sensibile est ratione. *Vel*
Ergo aliquod rationale est sensibile. 3 *s*

E Aliqua substantia est animal: 2 *ri-*
10 I Nullũ animal est lapis: 1 *Fe-*
Ergo aliquis lapis non est substantia. *Vel*
Ergo aliqua substantia non est lapis. 3 *o*

I Ali-

I Aliquis equus eſt animal:
11 I Aliquod animal eſt rationale:
I Ergo aliquod rationale eſt equus.

12 I Aliquod animal eſt ſubſtantia:
O Aliqua ſubſtantia non eſt homo:
Ergo aliquis homo non eſt animal:

13 O Aliqua ſubſtantia non eſt animal:
A Omne animal eſt ſenſibile:
Ergo aliquod ſenſibile non eſt ſubſtantia.

14 I Aliquod animal non eſt lapis:
O Nullus lapis eſt homo:
E Ergo aliquis homo non eſt animal.

15 O Aliquod animal non eſt rationale:
I Aliquod rationale eſt homo:
Ergo aliquis homo non eſt animal.

16 O Aliquod animal non eſt lapis:
O Aliquis lapis non eſt homo:
Ergo aliquis homo non eſt animal.

TERTIA FIGVRA

(inter utiles secunda.)

1
A Omnis homo est animal:
A Omne sensibile est animal:
Ergo omne sensibile est homo.

2 *Camestres.*
A Omnis homo est rationalis:
E Nullus equus est rationalis:
Ergo nullus equus est homo:

3
A Omne animal est substãtia:
I Aliquis lapis est substantia:
Ergo aliquis lapis est animal.

4
A Omnis homo est animal:
O Aliquis lapis nõ est animal:
Ergo aliquis lapis non est homo.

5 *Cesare.*
E Nullus equus est rationalis:
A Omnis homo est rationalis:
Ergo nullus homo est equus.

6
E Nullum animal est lapis:
E Nullus homo est lapis:
Ergo nullus homo est lapis.

7 *Festino.*
E Nullus lapis est animal.
I Aliquis homo est animal:
Ergo aliquis homo non est lapis.

E Nullum animal est lapis:
8 O aliquis homo non est lapis:
Ergo aliquis homo non est animal.

9 Aliquis equus est animal:
A Omnis homo est animal:
Ergo aliquis homo est equus.

I Aliqua substantia est homo:
10 E Nullus lapis est homo:
Ergo aliquis lapis non est substantia.

11 I Aliquis equus est animal:
I Aliquis homo est animal:
Ergò aliquis homo est equus.

12 I Aliqua substantia est homo:
O Aliquis lapis non est homo:
Ergo aliquis lapis non est substantia.

O aliqua substantia non est animal:
13 A Omnis homo est animal:
Ergo aliquis homo non est substantia.

14 O Aliqua substantia non est animal:
E nullus lapis est animal:
Ergo aliquis lapis non est substantia.

O Aliqua substantia non est animal:
I Aliquis homo est animal:
Ergò aliquis homo non est substantia.

16 O aliquod animal nō est lapis
O Aliquis homo non est lapis
Ergò aliquis homo non est animal.

QVARTA FIGVRA
(*inter utiles tertia.*)

1 A Omne animal est sensibile: *Da-*
A Omne animal est substātia: *rap-*
Non
Ergo omnis substantia est sensibilis:
Sed
Ergò aliqua substantia est sensibilis. *ti.*

2 A Omne animal est substātia:
E Nullum animal est lapis:
Ergo nullus lapis est substantia.

3 A Omne animal est substātia *Da-*
I aliquod animal est rationale *ti-*
Ergo aliquod rationale est substantia. *si.*

A Om-

A Omne animal est substãtia:
4 O Aliquod animal non est equus:
Ergo aliquis equus non est substantia.

5 E Nullum animal est lapis: *Fe-*
A Omne animal est substãtia: *lap-*
Non
Ergò nulla substãtia est lapis
Sed
Ergò aliqua substantia non est lapis. *ton.*

6 E Nullus lapis est animal:
E Nullus lapis est homo.
Ergò nullus homo est animal.

7 E Nullus lapis est animal: *Fe-*
I Aliquis lapis est substantia: *ri-*
Ergò aliqua substantia nõ est animal. *son.*

8 E Nullus lapis est animal:
O Aliquis lapis nò est homo:
Ergò aliquis homo non est animal.

9 I aliquod animal est rationale *Di-*
A Omne animal est substãtia: *sa-*
Ergo aliqua substantia est rationalis. *mis.*

I Aliquod animal eſt ſubſtantia:
10 E Nullum animal eſt lapis:
Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.

11 I aliquod animal eſt rationale
I aliquod animal eſt hinnibile
Ergò aliquod hinnibile eſt rationale.

12 I aliquod animal eſt ſubſtãtia
O aliquod animal nõ eſt lapis
Ergò aliquis lapis non eſt ſubſtantia.

13 O aliquod animal nõ eſt lapis, Bocardo
A Omne animal eſt ſubſtãtia:
Ergò aliqua ſubſtantia nõ eſt lapis.

14 O Aliquis lapis nõ eſt animal
E Nullus lapis eſt homo:
Ergò aliquis homo non eſt animal.

15 O Aliquod animal non eſt rationale:
I Aliquod animal eſt homo:
Ergò aliquis homo nõ eſt rationalis.

16 O Aliquis lapis nõ eſt animal
O Aliquis lapis nõ eſt homo:
Ergo aliquis homo non eſt animal.

Explicationem hujus ſchematis habes in ſequentibus.

§. 2.

De Figuris & Modis utilibus Syllogiſmorum.

QUATUOR *ſunt, ut ex ſuperiori §. & ex ſchemate conſtat, figuræ poſſibiles, & intra unamquamque ſexdecim modi ſyllogiſmorum, ſed non omnes ſunt utiles ad concludendum.* Ad diſcernendum verò utiles ab inutilibus quædam priùs ſtatuēndæ ſunt regulæ, quarum omniũ fundamentum eſt ipſa propria natura ſyllogiſmi, quæ requirit ut duo extrema uniantur & combinentur cum uno medio, vel utrumque per affirmationem, ut concludatur affirmativè unio eorundem inter ſe, iuxta illud principium (*Quæ uniuntur uni Tertio, uniuntur inter ſe,*) cui innituntur ſyllogiſmi affirmativi: vel unum per affirmationem, alterum per negationem, ut inferatur inde negatio unius de altero in concluſione, conformiter ad aliud principium præcedenti oppoſitũ (*Ea quorũ unum unitur uni tertio, alterum non, non uniuntur inter ſe,*) in quo fundantur ſyllogiſmi negativè concludẽtes, ut ſect. ſeq. videbimus. Ex his ſequitur.

Prima regula generalis : In bono ſyllogiſmo debent eſſe tantùm tres termini, ne-

dum

dum quoad voces, sed etiam quoad sensum, ita ut in eodem planè sensu accipiantur in præmissis & in conclusione, nec varientur quoad suppositionem, ampliationem, restrictionem, appellationem, & alias hujusmodi affectiones seu proprietates termini, excepta suppositione à signis proveniente. Ratio est, quia alias reipsa non fieret unio duorum extremorum cum uno & eodem medio, in quo tamen sita est ratio syllogismi. Unde tam medium quàm extrema non debent esse termini æquivoci; non enim valet: Omnis canis latrat, Sed aliquod sydus est canis, Ergò aliquod sydus latrat.

Secunda regula generalis. Medium in altera saltem præmissarum debet supponere distributivè. Quia aliàs non esset reipsa idem medium, cum quo extrema unirentur aut combinarentur, subindeque non rectè inferretur unio ipsorum inter se: ut patet in hoc syllogismo: Aliquod animal est rationale, Aliquis equus est animal, Ergo aliquis equus est rationalis. Unde ex puris particularibus nihil sequitur in quacunque figura vi formæ, quod addo, quia vi materiæ potest aliquando valere consequentia: ut, Aliquod irrationale est animal, Aliquis equus est irrationalis, Ergò aliquis equus est animal.

Tertia regula generalis. Extremum in præmissis indistributum non debet distribui in conclusione. Quia debet eo tantum modo & sensu

sensu uniri cum altero extremo in conclusione, quo unitum fuit cum medio in præmissis: Si ergo non fuit unitum medio nisi in sẽsu particulari disjunctivo vel confuso, non debet in sensu universali & distributivo uniri cum altero: unde non valet: Omnis homo est rationalis, Omnis homo est animal; ergò omne animal est rationale: quia animal cõfusè sumptũ in minori pro hoc vel illo, sumitur distributivè in cõclusiõne pro õnibus.

Quarta regula generalis. Ex præmissis purè negativis nihil sequitur. Quia tunc neutrum extremum cum medio unitur affirmative, sed utrumque per negationem ab eo sejungitur: ex eo autem quod duo sejungantur seu distinguantur ab uno tertio non bene infertur, quod sint vel non sint idem inter se: unde non valet dicere: Nullus homo est irrationalis, Nullus equus est homo, Ergo nullus equus est irrationalis.

Ex his omnibus facile est discernere figuras & modos utiles ab utilibus; & in primis

Infertur tres tantùm esse figuras utiles & legitimas, primam videlicet, tertiam & quartam. Figura enim legitima est ea, in qua fit combinatio extremorum cum medio apta ad concludendam eorundem extremorum inter se unionem: sed in his tribus tantùm formantur combinationes aptæ ad concludendum, ut patet in schemate, quia in eis tantùm servantur regulæ traditæ;

tæ; in secunda verò aut non fiunt tales combinationes, quæ rectè concludant, defectu regularum; aut si fiant, illæ reducuntur ad primam per solam transpositionem præmissarum, vel etiam conclusionis cõversionem, quod est differre à prima accidentaliter solùm aut voce tenus, ut in eodẽ schemate cernere licet: ergo &c. Rejectâ igitur illâ secũdâ figurâ vel tanquam inutili ad concludendum, vel tanquam indistinctâ à prima, supersunt tantùm tres utiles & legitimę. Prima in qua medium subjicitur in majori & prædicatur in minori; Secunda (quæ inter possibiles posita est ordine tertia) in qua medium utrobique prædicatur; Tertia (quæ erat ordine quarta in eodem schemate figurarum possibilium) in qua utrobiq; subjicitur, juxta sensum illius versiculi.

Sub præd. prima: sed altera bis præd. tertia bis sub.

Infertur secundò quinam modi in his tribus figuris sint utiles, quinam inutiles. Modi enim utiles sunt illæ præmissarum combinationes quæ aptæ sunt ad concludendum, illæ autẽ sunt ad concludendum aptæ quæ servant omnes regulas traditas: ineptæ verò quæ contra aliquam vel aliquas illarum peccant, atque adeò sunt modi inutiles. Primi sunt qui in schemate designantur per voces illas in sequentibus carminibus contentas,

Bar-

Barbara, celarent, darii, ferio: baralipton,
Celantes, dabitis fapesmo, frisesomorum,
Cesare, camestres, festino baroco. Darapti
Felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison.

Inter quos modos utiles per hæc vocabula designatos alii sunt directi, qui scilicet inferunt conclusionem directam & quæ per se nata est sequi ex præmissis, in qua majus extremum prædicatur de minori; alii indirecti, in quibus infertur cōclusio indirecta per solā ipsius conclusionis directæ conversionem juxta regulas de conversione propositionum traditas factam : unde modus indirectus accidentaliter tantùm differt à directo, penes solam conclusionis conversionem.

Modi directi primæ figuræ sunt quatuor designati per quatuor primas voces, *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*: indirecti tres inprimis deducti ex tribus prioribus directis, designati per *Baralipton, Celantes, Dabitis*, (Prætermisso modo indirecto qui deduci potest ex modo, Ferio, eo quod ejus conclusio, sicut & aliorum modorum in quibus infertur particularis negativa, non possit converti nisi per contrapositionem, quæ non est propriè conversio :) Et præterea alii duo designati per *Fapesmo & Frisesomorum*, (in quo posteriori vocabulo habenda est tantum ratio trium priorum vocalium, nō aliarum, quæ solùm metri causa adduntur) deducti

ducti ex duobus modis, ex secundo scilicet & decimo, in schemate positis, qui inutiles sunt ad concludendum directè, eo quod peccant contra tertiam regulam generalem distribuendo majus extremum in conclusione, quod non fuit distributum in præmissis; utiles verò ad concludendũ in directè, quia sic non peccant contra dictam regulam, ut inspicienti constabit.

Modi verò directi secundæ figuræ sunt etiam quatuor designati per sequentes voces, *Cesare, Camestres, Festino, Baroco*: *Tertiæ*, sex denotati per *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi Bocardo, Ferison*: *Indirecti verò*, qui ex his deduci possunt per solam conclusionum conversionem: ad instar eorum qui in prima figura appositi sunt in exemplum.

Inferuntur tertiò regulæ speciales pro unaquaq; trium figurarum.

Prima regula particularis pro prima figura est, quod, Si major sit particularis, aut minor negativa, nihil concluditur (saltem directè.) Quia peccaret ■ contra secundam regulam generalem de distribuendo medio in altera præmissarum, vel contra tertiã de non distribuendo aliquo extremo in cõclusione quod in præmissis non fuerit distributum: ut patebit consideranti in schemate modos illos primæ figurę, quorum major est particularis vel minor negativa. Dixi *(saltem directè)* quia indirectè potest interdum concludi, ut patet in *Fapesmo & Frisesomorum*, in quibus inferẽdo con-

conclusionem indirectam non peccatur contra dictas regulas.

Secunda regula particularis pro secunda figura est, quod; Ex duabus affirmativis nihil sequitur in hac figura, sed debet altera præmissarum esse negativa. Quia aliàs peccaretur cõtra secũdã regulã generalẽ de medio in altera præmissarũ distribuendo: cum enim ibi sit prædicatum in utraq; , si ambæ essent affirmativæ, in neutra distribueretur. *Vnde sequitur etiam* veluti hujus regulæ appendix, majorem in hac figura non posse esse particularẽ, quia peccaretur contra tertiam regulam generalẽ, siquidem majus extremum quòd ibi subjicitur, nõ distribueretur, quod tamẽ distribueretur in cõclusione quæ debet esse negativa, utpote alterâ præmissarum negativâ existente. Vide horum exempla in schemate.

Tertia regula particularis pro tertia figura est, quòd, Si minor sit negativa nihil sequitur in hac figura. Quia peccaretur contra tertiam regulam generalem de non distribuendo aliquo extremo in conclusione, quod in præmissis distributum non fuerit: majus enim extremũ quod prædicatur in majori (quæ necessariò deberet esse affirmativa, si minor negativa foret, siquidem ex puris negativis nihil concluditur) nõ distribueretur in illa, & tamen distribueretur in conclusione ratione negationis. Debet ergò minor esse affirmativa. Ex quo sequitur ulterius veluti etiam

ap-

appendix hujus regulæ, conclusionem in tertia figura debere esse semper particularem & non universalem: quia alias minus extremum, quod in minori illâ affirmativa non distribuitur, distribueretur in conclusione.

Has regulas facilè in mentē revocant vocabula supradicta, *Barbara*, &c. quorum nullum designat in prima figura majorem particularem aut minorem negativam: nullum ambas præmissas affirmativas in secūda, nec majorem particularem: nullum denique minorem negativam in tertia, nec etiam conclusionem universalem, sed particularem.

SECTIO III.

De Proprietatibus Syllogismorum, Probatione scilicet & Reductione.

ESSENTIA Syllogismi consistit in legitima unione extremorum cum medio inferente unionem ipsorum inter se; seu in ipsa consequentia qua hujusmodi extremorum unio infertur in conclusione ex vi unionis eorundem cum medio factæ in præmissis: proprietates verò ejus sunt, tum probatio hujusmodi consequentiæ & bonitatis illius per prima principia, & hoc quantum ad modos perfectos (qui dicuntur illi qui non solum legitimè conclu-

cludunt sed etiam evidenter; quales sunt quatuor primi primæ figuræ:] tum reductio ad modos perfectos; quantum ad reliquos qui imperfecti sunt: dicunturque tales, eò quòd ipsorum consequentia etsi bona & legitima sit, non tamen ita evidens.

Si quis ergò eo proterviæ devenerit ut concessis præmissis syllogismi perfecti negaret consequentiam, quæ per seipsam manifesta est, in eo casu probanda esset per alterum è duobus principiis suprapositis: consequentia quidem syllogismorum perfectorum affirmativè concludentium [nempe *Barbara & Darii*) per illud, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se:* subsumendo sic, sed majus & minus extremum, puta Homo & Sensitivum, uniuntur uni tertio in præmissis, puta animali: ergo rectè uniuntur inter se in conclusione: Consequentia verò modorum perfectorum negativè concludentium) videlicet *Celarent & Ferio*) per alterum; nempe, *Ea quorum unum unitur uni tertio, alterum non, non uniuntur inter se:* subdendo, sed homo, e. g. unitur in præmissis animali, lapis verò non, sed ab eo per negationem removetur: ergo non uniuntur inter se, sed unum rectè per negationem removetur ab altero. Vide hæc exempla in schemate in modis *Barbara & Celarent.*

Si quis verò modorum imperfectorum concessis præmissis negaret consequentiam, reducendus esset ille syllogismus imperfe-

ctus, cujus negaretur consecutio, ad aliquem ex quatuor perfectis, ita ut ex imperfecto fieret perfectus. Hoc autem dupliciter fieri potest.

Primò per solam conversionem propositionum syllogismi imperfecti, earumque, si opus fuerit, transpositionem, ita ut major ponatur loco minoris aut è contra: sicque eadem consequentia in modo perfecto clarè inferatur, quæ in modo imperfecto obscurius illata fuerat, & negata. Et hæc dicitur reductio ostensiva, quia in iisdem propositionibus syllogismi imperfecti clariori & perfectiori forma dispositis ostenditur bonitas consequentiæ, nulla propositione deforis ascitâ.

Secundò fieri potest deducendo eum, qui concessis præmissis modi imperfecti negaret consequentiam, ad aliquod inconveniens, puta ad concedendas duas contradictorias simul veras: & ideo hæc dicitur reductio ad impossibile, vel per impossibile.

§. I.

De Reductione Ostensiva Syllogismorum Imperfectorum.

REDUCTIO *ergo Ostensiva est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum per solam propositionum conversionem, aut etiam transpositio-*

sitionem: subindeque ut congruè fiat duo sunt attendenda.

Primum est, ad quem modum perfectum quilibet imperfectus hac reductione revocari debeat: quod designatur per consonantes, quibus singuli modi imperfecti incipiunt. quæ sunt B. C. D. F, ita ut imperfecti modi incipientes per B, ut Baralipton, si per ostensionem reduci debeant, revocandi sint ad modum perfectum Barbara, qui per C ad Celarent, qui per D ad Darii, qui per F ad Ferio.

Secundum est, quanam propositiones convertenda sint aut transponenda, quod denotatur per quasdam alias consonantes intra vocabula illa repertas scilicet S. P, M; ita ut S. reperta post vocalem aliquam in illis dictionibus modos imperfectos designantibus, denotet propositionem illi vocali antecedenti correspondentem esse convertendam simpliciter: P esse convertendam per accidens: M propositiones esse mutandas seu transponendas, majorem scilicet in minorem, & è contra C verò in medio dictionum Baroco & Bocardo inventa indicat duos illos modos non posse reduci nisi per Contradictionem seu per impossibile. Et hic est sensus istorum versuum.

S. vult simpliciter verti: P. verò per accid:
M. vult transponi. C. per impossibile duci.

Exempla hujusmodi reductionis osten-
 sivæ

ſivæ quiſque poterit facilè adducere, ſi unum ſubiiciamus in Fapeſmo.

Fapeſmo { Omne animal eſt vivens:
Nullus lapis eſt animal:
Ergo aliquod vivens nõ eſt lapis.

Si ergo conceſſis præmiſſis ab aliquo negetur conſequentia iſtiuſmodi, poteſt illius bonitas manifeſtari oſtenſivè reducendo ipſum ad modum Ferio, ut indicat litera initialis vocabuli Fapeſmo, ſcilicet F: convertendo minorem ejus per accidens, ſic, Omne animal eſt vivens, ergo Aliquod vivens eſt animal; id enim deſignat conſonans P. poſt primam vocalem reperta: minorem verò convertendo ſimpliciter, ſic, Nullus lapis eſt animal, ergo nullum animal eſt lapis quod expoſcit conſonans S reperta poſt ſecundam vocalem E: & denique tranſponendo majorem in minorem & è converſo, ut deſignat M ſubſequens. Ex quibus reſultat hic ſyllogiſmus

Ferio { Nullum animal eſt lapis:
Aliquod vivens eſt animal:
Ergo aliquod vivens non eſt lapis.

Ubi vides concluſionem, quæ obſcura & indirecta erat in modo imperfecto Fapeſmo, claram & directam in modo perfecto Ferio.

Circa

Circa modum *Frisesomorum* adverte consonantem M in eo repetitam post tertiam vocalem denotare præmissas esse transponendas. ac si post secundam vocalem inveniretur.

§. 2.

De Reductione per Impossibile.

REDUCTIO *verò per Impossibile est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum, inferendo contradictoriam conclusionis negatæ,* [quæ necessariò concedenda erit, alias enim jam darentur duæ contradictoriæ simul falsæ, nec ulterius esset procedendum] *& ex illa contradictoria & una præmissarum jam concessa deducendo contradictoriam alterius concessæ præmissæ.* Quæ proinde reductio ut rectè fiat, *duo similiter debent attendi.*

Primum est, ad quem etiam ex modis perfectis singuli imperfecti hoc genere reductionis revocandi sint: quod tribus sequentibus vocibus à Dialecticis in hunc finem excogitatis designatur.

Nesciebatis, odiebam, lætare-romanis.

Dictio *Nesciebatis* habens quinque syllabas ordine correspondentes quinque modis imperfectis primæ figuræ, per vocalem E in prima syllaba repertam denotat primum illorum modorum, nempe

Baralipton, reducendum esse ad Celarent, cuius conclusio est universalis negans per dictam vocalem E designata: per vocalem I repertam in secunda syllaba indicat secundum ex illis modis, scilicet Celantes, esse reducendum ad Darii cuius conclusio est particularis affirmativa designata per illud I, per vocalem E rursus repertam in tertia syllaba designat modum Dabitis, cui syllaba illa correspondet, esse etiam revocandum ad Celarent. Et sic de aliis.

Dictio *Odiebam*, quæ habet quatuor syllabas correspondentes quatuor modis secundæ figuræ; & dictio *Letare-Romanis*, quæ habet syllabas sex correspondentes modis tertiæ, per vocales etiam in hujusmodi syllabis repertas designant modos illos imperfectos, quibus correspondent, esse pariter reducendos ad perfectos quorum conclusio per vocales illas denotatur.

Secundum, quod hic attendi debet, est, quænam præmissarum in modo imperfecto concessarum servanda sit, & quonam loco, maioris scilicet an minoris, sit statuenda ipsa & contradictoria conclusionis negatæ, ut ex eis formetur modus perfectus inferens illud impossibile. Id verò declarant versus sequentes

Prima minorem adimit, facit è maiore minorem:
Celantes min. est contrad. Minor sede maioris.

Servat

Servat majorem, variátque secunda minorem.

Tertia majorem variat, servátque minorem.

Sensus est.

Prima figura in reducendis per impossibile modis imperfectis ad perfectos, contradictoriam conclusionis negatæ ponit loco majoris, & è majori syllogismi imperfecti concessa facit minorem. Celantes excipitur, in quo è contra ponitur contradictoria conclusionis negatæ loco minoris, & minor loco majoris.

Secunda figura servat majorem syllogismi imperfecti, & è contradictoria conclusionis negatæ facit minorem.

Tertia è contradictoria conclusionis facit majorem, & servat minorem syllogismi imperfecti.

His verò ita dispositis semper infertur inconveniens illud. i. contradictoria vel saltem contraria alterius præmissæ in syllogismo imperfecto concessæ: licet ad hoc interdum opus sit conversione simplici illius propositionis seu conclusionis in modo perfecto illatæ, ut constat in reductione sequentis syllogismi in Baralipton.

Baralip. { Omnis homo est animal:
Omne rationale est homo:
Ergo aliquod animal est rationale.

Cujus conclusionis contradictoria ponenda est pro majori, hoc modo: Nullum animal est rationale, Omnis homo est animal, ergo nullus homo est rationalis: quæ conclusio debet prius converti simpliciter, dicendo. Ergo nullum rationale est homo, ut sic inferatur conclusio directè contraria minori concessæ: ex duabus autem contrariis simul veris deducuntur duæ contradictoriæ simul etiam veræ, ut diximus 2. p. sect. 2. *Et hæc de parva logica, cætera in magna.*





LOGICA MAGNA.

PROLEGOMENON I.

An detur Logica, sitque ad alias scientias necessaria.



OGICAM simpliciter dictam cur appellemus Logicam magnam, comparatione Summularum Logicæ, quæ dicuntur Logica parva, habes supra initio eiusdem parvæ Logicæ proleg. 1. sub fin. Ut autem titulo satisfiat.

Nota duplicem solere distingui Logicam, aliam Naturalem, Artificialem aliam. Logica Naturalis est facultas seu notitia quadam disserendi innata intellectui, aut potius est ipsemet intellectus prout vi sibi naturali er insitâ, hoc ipso quod est potentia rationalis & discursiva, novit

 aliqua-

aliquatenùs modum discurrendi, definiendi, dividendi, saltem circa res aliquas, licet valdè imperfectè & vix absque errore. Logica verò Artificialis est facultas non innata sed nostris actibus ac studio acquisita, tradens modum perfectè & sine errore in omnibus disserendi & prædicta rationis opera exercendi: & de hac instituitur hic sermo, & inquiritur in primis an sit admittenda talis facultas, pro cuius quæstionis resolutione.

Dico 1. admittendam esse & de facto dari, Logicam Artificialem.

Probatur: quia nomine Logicæ artificialis intelligimus facultatem illam quæ docet modum rectè & sine errore definiendi, dividendi, ratiocinandi circa quamlibet materiam: atqui admittenda est illa facultas, & de facto datur: ergo. *Probatur minor* quia natura non deficit in necessariis: illa verò facultas est maximè necessaria ad rectè intelligendum, cum non aliter res intelligamus quàm mediis illis cognoscendi instrumentis, definitione scilicet, divisione, & argumentatione: ergo admittenda est facultas illa ut nostro labore acquisibilis: quòd autem de facto detur, experientia constat in multis qui rectè definiunt, dividunt & argumentantur, aliaque huiusmodi logicalia munia exercent circa res etiam difficiles: ergo.

Dico 2. Logicam Artificialem esse simpliciter necessariam ad omnes alias scientias in statu perfecto acquirendas.

Hæc

Hæc conclusio confirmat præcedentem, si enim Logica sit necessaria ad omnes alias disciplinas comparandas, ita ut sine illa acquiri non possint, cùm constet dari alias scientias, negari non poterit dari Logicam: *Quod ut probetur.*

Nota quamlibet scientiam posse dupliciter acquiri, *primò imperfectè, secundò perfectè.* Scientia imperfecta seu in statu imperfecto acquisita est rudis quædam cognitio conclusionum quæ in aliqua facultate, puta in Physica, demonstrantur: vel etiam nomine scientiæ imperfectæ potest intelligi cognitio scientifica quarundam conclusionum intellectu facillimarum, quales reperiuntur plures in mathematicis. Scientia verò in statu perfecto considerata est cognitio scientifica nedum facilium, sed etiam difficilium conclusionum alicuius facultatis, cognitio inquam perfecta. *Hoc posito.*

Probatur conclusio: quamvis enim ad scientiæ imperfectæ acquisitionem sufficiat Logica naturalis, id est nudus intellectus, qui vi sua nativa potest circa res faciles, imò & circa difficiliores, imperfectè saltem, discurrere, atque adeo scientiam aliqualem & imperfectam de illis comparare: tamen ad scientiam perfectam necessaria omninò est logica artificialis, quod sic ostenditur.

Illud dicitur simpliciter necessarium ad finem aliquem assequendum sine quo non potest finis ille acquiri: atqui sine logica artificiali

ficiali non possunt aliæ scientiæ perfectè acquiri: ergo ad eas perfectè acquirendas necessaria est logica artificialis. Probatur minor: quia ad acquirẽdam perfectè aliquam scientiam necesse est perfectè nosse conclusiones illius per demonstrationes quæ in illa fiunt, scientia enim est cognitio per demonstrationem acquisita: atqui sine logica artificiali id non possumus, etenim ad demonstrandas & syllogisticè probandas conclusiones necesse est cognoscere naturam & callere præcepta demonstrationis & syllogismi, aliorumve his deservientium: ut definitionis, divisionis propositionis, & similium, quæ à sola logica artificiali traduntur. ergo, &c.

Obiicies. Logica est scientia, ut infra ostendetur: ergo & ipsa erit necessaria ad seipsam in statu perfecto acquirendam, & sic debebit sibi ipsi præsupponi, quod implicat, jam enim esset antequam esset.

Respondeo, concesso antecedente consequentiam esse negandam de logica perfecta, concedendam de imperfecta, i. de rudi quadam notitia modorum differendi, qualis in præcedenti tractatu à nobis tradita fuit: & hanc imperfectam & inchoatam logicam (ad quam prærequiritur solum logica naturalis) concedimus libenter debere sibi ipsi præsupponi ut perfectæ, & esse sub priori antequam sub posteriori statu: nec de hac sed solum de logica perfecta procedit implicantia, ut per se patet.

Dico

Dico 3. Aristoteles meritò præ cæteris Philosophis, dici potest primus Logicæ inventor. Dixi, *præ cæteris Philosophis*, quia absolutè loquendo Deus solus dici potest primus author & inventor Logices, qui illam sicut & alias disciplinas protoparenti nostro infudit, ut eas posteros suos edocere posset.

Probatur conclusio: quia Aristoteles fuit primus qui omnes Logicæ partes ad ordinem reduxit, qui ab aliis scientiis eam sejunctam tradidit, qui syllogizandi artem ad methodum & certas quasdam regulas revocavit, ac denique tantum ornamenti Logicæ contulit, ut quæ antea despecta jaceret, *modò ars artium, scientia scientiarum, earúmque regula meritò appelletur*: Ergo Aristoteles verè dici potest primus Logicæ inventor, aut si malis reparator, quatenus eam incuria hominum penè collapsam & obsoletam ad pristinum statum in quo fuerat Adamo infusa, aut certè ab ipso posteris tradita, revocavit.

Reparata autem fuit Logica experimento: cum enim experiretur Philosophus se interdum benè, interdum malè definire, dividere, argumentari aut concludere, advertit ad defectus, & pro illis vitandis regulas quasdam statuit quibus servatis possent homines rectè in posterum & sine errore definire, &c. sicque Logicam tradidit.

PROLEGOMENON II.

An sit eadem Logica Docens & Vtens.

PROPRIUM munus dialecticæ est docere modum, & præcepta tradere rectè disserendi, ut patet ex superioribus ubi eam sub hac consideratione ostendimus esse in rerum natura admittendam & necessariam: sed quia non solùm præcepta hujusmodi tradit sed etiam exequitur effectivè differendo. j. definiendo, dividendo syllogizando; ideò occasionem sumpserunt inde Philosophi distinguendi facultatem hanc in Docentem & Utentem: *Docentem appellantes quæ præscribit modum & præcepta. Vtentem quæ illa executioni mandat, Sed difficultas est primò, utrùm sicut est tota & secundùm omnes suas partes Docens, ita sit tota Vtens: secundò, qua ratione Docens & Vtens distinguantur.* Pro resolutione primæ partis quæstionis.

Adverte primò Logicam, quoad propositum spectat, dividi in tres partes, *demonstrativam, topicam, & sophisticam,* quarum unaquæque sumitur hic pro tota ipsa Dialecticæ facultate ut docente modum differendi, seu definiendi, dividendi, enunciandi, argumentandi, in aliqua speciali materia, demonstrativa quidem in materia necessaria. j. in rebus quæ aliter se habere non possunt; topica in materia probabili, seu in iis quæ mutari queunt; sophi-

sophistica in apparenti, sive in rebus quæ aliter se habent quàm appareant: tametsi specialiter & magis propriè pars demonstrativa, topica, & sophistica accipiantur pro ultimo Logicæ tractatu in quo agitur solùm de modo syllogizandi in illa triplici materia, sive de syllogismo demonstrativo, opinativo, & captioso.

Adverte secundò, hujusmodi triplicem materiam posse esse vel propriam Logicæ, vel alicujus alterius scientiæ, puta Physicæ: possunt enim fieri definitiones, propositiones, argumentationes, ex rebus necessariis, probabilibus, aut apparentibus, tùm dialecticis, tùm physicis, tùm aliis. His prælibatis.

Dico 1. Quamvis Logica secundùm omnes partes, demonstrativam, topicam, & sophisticam, sit docens; non est tamen propriè & simpliciter loquendo utens, nisi secundùm partem topicam & sophisticam: atque ita tota Dialectica est docens, & sola pars topica & sophistica est quæ dividitur in docentem & utentem.

Prima pars conclusionis supponitur ut evidens: Logica enim docet quomodo construendæ sint definitiones, argumentationes, & hujusmodi, tùm in rebus necessariis, tùm in probabilibus, tùm in apparentibus, idque tam in secundis intentionibus seu rebus logicalibus, quàm in aliis: ergo est ubique docens.

Secunda verò pars duo continet: primum est dialecticam topicam & sophisticam

cam esse utentem: alteram demonstrativam non esse propriè talem, quod in primis.

Probatur: Logica non denominatur propriè utens nisi ab usu distincto à doctrina, & ab ipsa Logica elicito; ab usu enim qui est ipsamet doctrina non potest dici utens, prout utens distinguitur aliqua ratione à docente; nec similiter ab actu usus elicito non ab ipsa sed ab aliis scientiis, utens enim dicitur ex eo quod activè utatur doctrinâ seu præceptis traditis: Atqui sic est quòd usus partis demonstrativæ vel non est distinctus à doctrina, vel non procedit effectivè ab ipsa Logica: ergo secundùm illam partem non denominatur propriè utens. *Probatur minor*: usus enim partis demonstrativæ, seu executio doctrinæ logicalis in materia necessaria, considerari potest vel in materia necessaria ipsiusmet Logicæ, vel in materia necessaria aliarum facultatum: in materia necessaria Logicæ, quamvis effectivè procedat ab ipsa, non tamen distinguitur à doctrina, docendo enim seu tradendo præcepta definiendi, syllogizandi, aut hujusmodi, eadem exequitur, & exequendo tradit, cùm doctrinam illam tradat modo scientifico, definiendo, dividendo, & demonstrativè ostendendo aut explicando quæ docet: In materia verò aliarum scientiarum ex adverso quamvis usus partis demonstrativæ sit distinctus ab

eius

eius doctrina, cùm ibi doctrina illa non tradatur, sed solùm executioni mandetur, ille tamen usus non est effectivè & elicitivè ab ipsa Logica, sed ab illa scientia ad quam pertinet materia, quælibet enim scientia efficit in propria materia necessaria suas definitiones, divisiones, propositiones, & syllogismos aut demonstrationes conformiter ad præcepta aut directionem Logicæ, aliàs si ipsa Logica id ubique præstaret, esset sola scientia, siquidem circa omnia demonstrativè dissereret, in quo ratio scientiæ consistit: Ergo usus seu executio doctrinæ partis demonstrativæ vel non distinguitur à doctrina ipsa, vel non pertinet effectivè ad Logicam sed ad alias scientias, & sic Logica non dicetur utens in parte demonstrativa nec respectu propriæ materiæ, prout utens distinguitur & dividitur aliqua ratione à docente (quamvis in sensu non ita proprio utens dici possit, quatenus ibi exequitur sua præcepta;) nec ullo pacto respectu aliarum facultatum, nisi passivè quatenus aliæ utuntur præceptis eius.

Dices: Logica est quæ applicat formas secundarum intentionum definitionis, syllogismi, & similium cuilibet materiæ, non verò aliæ scientiæ, aliàs se extenderent ad objectum ipsius, quæ sunt hujusmodi secundæ intentiones ut infra dicemus.

Sed contra: quia illa scientia dicitur effectivè applicare formas illas, quæ elicit actus ex quibus illæ resultant: atqui dum in materia necessaria Physicè fit syllogismus, hic v. g. (Omne constans contrariis, est corruptibile. Homo constat contrariis, ergo est corruptibilis & mortalis) actus illi, nempe assensus majoris, minoris, & conclusionis illatæ, ex quibus resultat dispositio aut forma syllogistica, secluso quolibet alio actu ab ipsis distincto, procedunt ab ipso habitu physices, ut per se constat: ergo ipsa Physica dicetur effective applicare formam syllogismi illi materiæ, Logica verò tantùm directivè concurret, quatenus docet & dictat quomodo construendus sit ille syllogismus, & conformiter ad illud dictamen & directionem Physica ipsum efficit. Neç sequitur eam se extendere ad objectum Logicæ, seu ad secundas intentiones, nisi secundariò & materialiter, quatenùs ex actibus eius resultant veluti per accidens.

Quod verò dialectica topica & sophistica sit proprie utens (quod erat aliud probandum) *ratione opposita suadetur*: quia usus istarum partium & est distinctus à doctrina ipsarum in aliis scientiis, & est effective à Logica: ergo ab illo propriè denominatur utens secundùm illas partes. *Antecedens quoad primam partem per se patet*, cùm in aliis facultatibus reperiatur usus ille separatus ab hujusmodi

ejusmodi doctrina, quæ non ibi sed in Logica tradatur: *Quoad secundum vero probatur,* quia quamvis proprium sit munus cujuslibet habitus scientifici aut opinativi efficere in materia necessaria aut probabili proprias suas definitiones, propositiones, syllogismos demonstrativos aut probabiles; ad Logicam tamen spectat in materia probabili aut apparenti communi omnibus disciplinis id totum præstare, id est, ex quibusdam generalibus principiis è locis topicis aut sophisticis desumptis procedere ad disserendum de quacunque re, seu probabiliter vel apparenter in singulis scientiis & facultatibus aliquid concludendum. *Et ratio est,* quia illa principia aut media generalia vel sunt de formali quædam intentiones rationis, ut ea quæ sumuntur à definitione, divisione, nomine, & aliis similibus locis; vel sunt realia, ut ea quæ desumuntur à causis, ab effectibus, & hujusmodi quæ per omnia vagantur. Si primum, res est clara, Logicam videlicet esse quæ ex hujusmodi principiis topicis secundo-intentionalibus format syllogismos probabiles in qualibet scientia, cùm illi formaliter loquendo sint in propria ipsius materia, & materialiter tantùm sint materia alterius scientiæ, quatenùs conclusiones quæ per talia media intentionalia probantur, ad eam materialiter pertinent: dico materialiter, nam forma-

formaliter ad eam scientiam spectant aut reducuntur conclusiones. ad quam pertinent media per quæ probantur: unde hæc propositio, Terra est rotunda, probata per medium mathematicum, puta per figuram eclipsis, pertinet ad astrologiam; per medium physicum, nempe per motum terræ & confluxum partium ejus ad centrum, pertinet ad Physicam: quia scilicet medium est ratio formalis *sub qua* objecti, à qua scientia specificatur. Si verò secundum. idem dicendum, sed ob aliam rationem, quæ in præcedenti etiam habet locum, quia nimirum supposita doctrina logicali de syllogismo & de locis topicis nulla superest difficultas ad probabiliter, & ut ita dicam superficialiter. de qualibet re proposita disserendum ex hujusmodi generalibus principiis, ergo ad id sufficit Logica. Nec est inconveniens quòd se extendat secundariò ad materiam realem & extraneam, quando non est specialis difficultas. Ex his habes verum esse quòd ait Aristoteles 1. *Topic. cap.* 1. proprium esse Dialectici ex probabilibus disserere in quacunque materia, cui addi potest, etiam ex apparentibus; totum enim quod diximus de illis, de his quoque intelligendum est proportionaliter.

Dico 2. Logicam Docentem & Vtentem esse unicum realiter habitum sola ratione distinctum.

Prima pars probatur. Unus & idem est realiter

liter habitus qui elicit actum primarium, & actum secundarium non addentem specialem difficultatem supra illam; *ut patet tum exemplo* in habitu charitatis, qui elicit primario actum amoris circa Deum, & secundariò circa proximum, eo quod hic non habet specialem difficultatem supposito illo, dummodo sit efficax; *tum ratione*, quia cum habitus non ponantur nisi ad vincendas difficultates quas experimur in actibus, ubi non est nova difficultas, non debet superaddi novus habitus: Atqui docere modum & præcepta differendi est actus primarius Logicæ, cùm ad id per se primò ordinetur; uti verò, seu mandare ea executioni procedendo ex principiis generalibus topicis aut sophisticis ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter aut apparenter ostendendas, est actus secundarius, cùm præsupponat doctrinam, & minus principaliter intendatur; nec addit novam difficultatem supra hujusmodi doctrinam de locis topicis aut sophisticis traditam, ea enim supposita de facili potest quisque probabiliter & sophisticè circa quælibet discurrere, ut per se constat: ergo.

Secunda verò pars manifestè constat, illa enim diversa munia seu actus docendi & utendi sufficiens præbent intellectui fundamentum distinguendi & diversis actibus concipiendi Logicam Docentem, & Utentem & illa rationis distinctio sufficit, nec requiritur realis ut Logica inquantum Docens explice-

plicetur unâ definitione, inquantum Utens aliâ, inquantum Docens dicitur scientia, utpote modo scientifico & demonstrativo tradens sua præcepta etiam partis topicæ & sophisticæ, in quantum verò Utens habeat quodammodo rationem non scientiæ sed opinionis, cùm eliciat actus probabiles, ut diximus: *Et ratio est*, quia hæc non sunt contradictoria cùm dicantur de eodem secundum diversas rationes, & in ordine ad diversos actus primarios & secundarios. *Sed utrum Logica sit scientia*, necne est alia quæstio, de qua sit.

PROLEGOMENON III.

An Logica sit Scientia, & qualis.

PRo resolutione primi quæsiti adverte Scientiam aliam esse Actualem aliam Habitualem. *Scientia actualis* est assensus seu cognitio actualis certa & evidēs alicuius cōclusionis per demonstrationem comparata, quæ tamdiu in nobis perseverat, quamdiu illi conclusioni actualiter assentimus. *Scientia verò habitualis*, quæ in nobis etiam non cogitantibus manet, est qualitas & habilitas quædam ex actibus scientificis seu demonstrativis relicta in intellectu, quâ inclinatur & disponitur ad similes actus promptè & facilè eliciendos: unde definitur à Philosophis. ***Habitus certus & evidens per demonstrationem acqui-***

acquisitus, & ad demonstrationem inclinans: quamvis hæ ultimæ particulæ non soleant exprimi in definitione scientiæ, sed potius subintelligi. Hoc prænotato.

Dico 1. *Logicam esse scientiam.* Hæc conclusio intelligitur formaliter de Logica docente, quæ simpliciter nomine Logicæ venit intelligenda, quamvis reipsa verum habeat etiam de utente, cùm sit entitativè idem habitus.

Probatur: Logica est habitus per demonstrationem acquisitus: ergo est scientia. Consequentia patet per locum à definitione ad definitum. Antecedens probatur: & in primis quod Logica sit habitus, constat, quia ex frequentatis discursibus logicalibus & assensibus circa conclusiones & præcepta quæ ibi traduntur & probantur, relinquitur in intellectu habilitas quædam & facilitas ad similes actus in posterum prompte & delectabiliter eliciendos. Quòd verò ille habitus per demonstrationem acquiratur vel procedat, ex eo suadetur, quia in Logica multæ fiunt demonstrationes, seu plurimæ de secundis intentionibus demonstrantur passiones, ut de definitione quòd sit bona, ex eo quòd constet genere & differentia; quod his constare debeat, eo eo quòd ad explicandam totam rei essentiam necesse sit adducere & id in quo res convenit cum aliis, & id per quod differt, de termino quòd supponat vel appellet hoc vel illo modo; ex eo quòd sic vel sic disponatur in pro-

in propositione; de propositione ipsa quòd sit opposita, æquipollens, convertibilis, tali vel tali genere conversionis, æquipollentiæ aut oppositionis, quia afficitur tali vel tali signo aut negatione; de syllogismo quòd in hac vel illa figura aut modo rectè concludat, ex eo quòd servet regulas; quòd per medium necessarium concludat demonstrativè, per probabile probabiliter, per apparens sophisticè aut apparenter; per primum faciat scire, per secundum opinari, per ultimum errare; atque ita constat, & magis ex dicendis in toto Logicæ decursu constabit, veras in omnibus eius partibus fieri demonstrationes: ergo est habitus, non ex qualibuscunque discursibus, sed demonstrativis & scientificis generatus & acquisitus.

Dixi Logicam Vtentem; utpote eundem cum docente habitum esse realiter scientiam, formaliter verò & reduplicativè inquantum utentem fatendum est non habere rationem scientiæ, sed opinionis quodammodo aut etiam habitus sophistici in ordine ad actus probabiles & falsos, quos ut talis elicit. Vide in fine præcedentis prolegomeni.

Obiicies 1. Scientia debet esse de perpetuis & necessariis, contingentia enim certò sciri non possunt, cùm sint ipsa incerta & variabilia: sed logica non agit de perpetuis & necessariis, agit enim de syllogismis & aliis quæ pendent à nostro intellectu ad libitum eà efformante, subindeque sunt contingentia: ergo. Re-

Respondeo negando minorem: ad probationem respondeo illa esse æquè perpetua & necessaria ac aliarum scientiarum objecta, nempe quoad essentialia prædicata & proprias passiones, aut potius quoad veritatem propositionum quæ ex illis fiunt, sub qua ratione de eis agitur: licet non sint necessaria, sed contingentia quoad existentiam quam suo modo habent ab intellectu, sicut alia à suis causis, sed sic non considerantur: unde in forma distinguo: Agit de syllogismis & aliis, quoad essentialia &c. concedo: quoad &c.

Obiicies 2. Illa facultas non est scientia, quæ elicit actus opinativos, sed Logica elicit plures actus opinativos, ex locis enim topicis procedit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas, ut vidimus proleg. præcedenti: ergo.

Respondeo, illam quidem facultatem non esse scientiam sed opinionem quæ primariò elicit actus opinativos & probabiles: sed dico logicam elicere scientificos primariò, opinativos verò ut secundarios duntaxat & minùs principales, subindeque erit realiter scientia: quamvis formaliter & reduplicativè in quantùm utens, sub qua ratione exercet hujusmodi actus secundarios, dicendum sit ut superiùs.

Pro responsione verò ad secundum quæsitum, adverte scientiam aliam esse speculativam, quæ scilicet ex sua natura ordinatur ad solam sui ob-

jecti contemplationem seu ad nudam veritatis speculationem & cognitionem; aliam, *Practicam quæ ulterius tendit ad aliquod opus extra intellectum.* Exemplum primæ sit Physica, quæ in sola entis naturalis speculatione sistit: exemplum vero posterioris est tum Ethica seu Moralis, quæ non moratur in sola contemplatione boni vel mali, sed ulterius ordinatur ad illud agendum, & istud vitandum, tum Medicina, cuius etiam finis non est sola consideratio corporis sanabilis quod est ejus objectum, sed maxime ipsa sanitas aut applicatio remediorum ad eam conservandam vel recuperandam, *Hoc posito:*

Dico 2. *Logicam esse scientiam simpliciter Speculativam & non Practicam.*

Probatur: scientia speculativa dicitur illa quæ ordinatur ex sua natura ad solam speculationem, & non ad opus aliquod extra intellectum: atqui logica ordinatur ad solam contemplationem & veritatis cognitionem, non vero ad aliquod opus exequendum extra intellectum: ergo est speculativa & non practica.

Respondebis, non illam duntaxat scientiam dici practicam quæ ordinatur ad opus extra intellectum sed quæ tendit ad opus quodcumque sive intra sive extra intellectum: & sic cum Logica ordinetur nedum ad contemplationem, sed etiam ad constructionem, syllogismi V, G. quod est opus aliquod rationis, debebit dici practica.

Sed

Sed contra, quia illa sola scientia dici potest proprie & simpliciter practica, quæ ordinatur ad opus quod est proprie & essentialiter praxis: atqui solum opus extra intellectum est tale: ergo. Probatur minor: praxis enim proprie distinguitur contra speculationem: sed omne opus intellectus est speculatio ex sua propria natura ergo. Probatur minor: Omnis intellectio, qua talis, est speculatio sui objecti: omne opus seu actio intellectus est intellectio, sicut omnis actio visus, visio, ergo. *Unde inferes recte definiri praxim à Scoto dicente praxim esse actum alterius potentiæ ab intellectu, natum elici conformiter rationi rectæ ad hoc ut rectus sit:* de quibus ultimis particulis nihil ad nos. Hinc facile solves objectiones.

Obiicitur enim primo: illa scientia est practica quæ non sistit in sola contemplatione sui objecti & veritatum quas demonstrat, sed ulterius tendit ad aliquod opus: sed Logica non sistit in sola contemplatione syllogismi, definitionis, & hujusmodi, sed ordinatur ad opus, nempe ad eorum constructionem.

Respondeo distinguendo majorem: quæ tendit ad opus extra intellectum, concedo, illud enim solum est proprie praxis ut ostensum est, & ab eo duntaxat scientia denominari potest proprie & simpliciter practica: quæ tendit ad opus intra intellectum tan-

tum, seu ab ipso intellectu elicitum, nego, illud enim est vera speculatio: Logica autem tendit ad opus intellectus tantum.

Obiicies 2. Logica ordinatur ad alias scientias acquirendas, ad quas ut supra vidimus est simpliciter necessaria: ergo non sistit in sola contemplatione sui objecti, subindeque est practica.

Respondeo primò concesso antecedente & prima consequentia negando secundam: Dato enim quod non sistat in contemplatione sui objecti, non sequitur statim quòd ordinatur ad praxim, sed ad deserviendum contemplationi aliorum objectorum, quod non extrahit extra rationem scientiæ speculativæ. *Respondeo secundò negando primam etiam consecutionem,* non enim aliter Logica deservit aliis scientiis acquirendis quam contemplando naturam & passiones definitionis, syllogismi, & aliorum sciendi instrumentorum, & doctrinam de illis tradendo, conformiter ad quam aliæ facultates eà efficiunt in propria materia, ut superiori proleg. dictum est.

Dices: quædam scientiæ sunt practicæ, aliæ verò speculativæ: ergo Logica, quæ ordinatur ad utrasque, erit practica simul & speculativa.

Respondeo negando consequentiam, quia non ordinatur ad illas formaliter ut sunt practicæ, sed præcisè inquantum sunt scientiæ & discur-

discursivæ circa propria objecta sub qua ratione important solam ipsorum considerationem, quod vero ulterius illa consideratio ordinetur ad opus, materialiter se habet.

Instabis: Facultates speculativæ sunt quæ procedunt modo resolutivo. j. resolvendo subjectum de quo agunt, in sua principia, explicando eius naturã & partes; practicæ vero, quæ modo compositivo, hoc est componendo, aut certe regulas tradendo quibus id quod considerant componatur aut conficiatur: Atqui Logica procedit non solum primo modo, sed etiam secundo: cum non tantum syllogismum & alia, quæ sunt ipsius objectum, revocet ad sua principia & explicet per partes, sed etiam regulas & præcepta conficiendi ipsa simul præscribat: ergo non solum est speculativa, sed etiam practica.

Respondeo majorem quoad secundam partem intelligendam esse de compositione extra intellectum, non intra quæ est speculatio: talis autem est compositio cujus regulas tradit & exequitur Logica.

Cum his tamen omnibus stat Logicam, præsertim utentem posse dici impropriè & similitudinariè practicam, nempe ob analogiam & similitudinem quandam quam habent opera illa & artefacta rationis, syllogismus, definitio, & hujusmodi, cum operibus externis, ob quam analogiam dici possunt improprie praxes. Eadem de causa appellari potest etiam Ars. Et per hæc multa solves argumenta.

PROLEGOMENON IV.

An Logica sit scientia entis realis, vel rationis?

HABEMUS rationem genericam Logicæ, videlicet rationem scientiæ in qua convenit cum aliis facultatibus: ut habeatur integra eius definitio, investiganda est modo propria ipsius differentia per ordinem ad objectum, ab eo enim unaquæque facultas specificatur: quod etiam appellatur subjectum non cui scientia inhæreat, illud enim est intellectus, sed de quo agat: dicitur etiam materia, non in qua sit, aut ex qua componatur, sed circa quam versetur. *Pro resolutione.*

Suppono in primis id quod in confesso est apud omnes, quodq; iam ex parte constat hactenus dictis, & amplius constabit ex dicendis, Logicam agere per se & ex proprio instituto, de secundis intentionibus directivis trium mentis operationum, tum complexis, ut de definitione & divisione quibus dirigitur prima operatio, de propositione quæ dirigit secundam, & argumentatione quæ tertiam, tum incomplexis quæ sunt illarum partes, ut de universalibus seu prædicabilibus, de terminis, & huiusmodi: quæ dicuntur secundæ intentiones. j. rationes quædam ex secunda & reflexa mentis intentione seu considerat

ratione in objectis resultantes: quod ut melius intelligas.

Suppono 2. *intentionem tum formalem tum obiectivam* (quæ a Dialecticis dicuntur, non actus voluntatis finem aliquem intendentis aut finis ipse intentus, qua ratione sumuntur à Theologis & Moralibus Philosophis; sed actus intellectus & objectum ejus) *esse duplicem, primam scilicet & secundam. Prima intentio formalis est actus directus, quo intellectus tendit in objectum ut est in se & secundum rationem aliquam ipsi à parte rei & extra intellectum convenientem.* ut actus quo cognosco animal quatenus est vivens sensitivum. *Prima vero Intentio objectiva est objectum illud sic cognitum. Secunda autem Intentio Formalis est actus reflexus qui tendit in rem cognitam & secundum aliquam rationem ipsi ut cognitæ duntaxat & ut est in intellectu competentem;* qualis est actus quo cognosco animal ut universale aut genus: res vero sic cognita ut potius ratio illa quæ rei ut cognitæ attribuitur, & in ea per hujusmodi actum reflexum resultat, dicitur. *Secunda Intentio objectiva:* & tales sunt rationes illæ universalis, generis, & aliæ omnes logicales: universalitas enim vel ratio generis v. g. non attribuitur animali nisi ut per intellectum à suis inferioribus præcisa, & per alium actum quo sic præcisum cognoscitur iterum reflexe in ordine ad eadem infe-

inferiora ut aptum inesse eis & prædicari de illis: similiter ratio propositionis, seu unio inter prædicatum & subjectum præsupponit illa extrema prius cognita aut apprehensa, & resultat solum per actum subsequentem quo unum de alio enunciatur; & sic proportionaliter de aliis, Quamvis autem nomen primæ & secundæ intentionis sit commune tam formali quam objectivæ, absolute tamen usurpari solet pro objectiva. His prælibatis.

Dico objectum formale & adæquatum logicæ esse ens rationis directivum operationum intellectus, atque adeo logicam recte definiri scientiam talis entis, & non realis, Est contra plures, præsertim Recentiores, existimantes objectum logicæ esse ens reale, scilicet ipsas rationes intellectus.

Vt autem proletur conclusio prænotandum est, quod alias fusius explicabimus, *ens rationis dici id quod non habet esse nisi in intellectu objective*, ita ut illo non cogitante penitus evanescat, ut chimæra: *ens vero reale, quod habet esse in rerum natura & nullo intellectu de ipso cogitante. Hoc posito.*

Probatur conclusio. Objectum formale alicuius scientiæ dicitur illud quod per se & ratione sui consideratur ab ea, ad differentiam materialis de quo non nisi ratione objecti formalis agit: atqui id quod per se consideratur à logica est rationis ens, ergo illud est objectum formale eius.

De majori huius Syllogismi non est difficultas: sicut enim objectum formale potentiæ alicujus dicitur id quod per se & ratione sui attingitur ab illa, ut color à facultate visiva, materiale vero, quod non nisi ratione formalis, putà corpus ratione coloris sibi inhærentis; ita de objecto scientiæ & cujusvis habitus proportionaliter dicendum.

Minor verò sic suadetur: logica agit per se & ex proprio instituto de secundis intentionibus directivis trium mentis operationum: atque illæ sunt de formali entia rationis: ergò. *Maior est indubitata* ut diximus in suppositione prima: *minor verò probatur sic.* Ens rationis dicitur id quod non habet esse nisi in intellectu objectivè: atqui secundæ intentiones, quamvis quoad materiale, quæ sunt res ipsæ quibus applicantur, sint à parte rei, quoad suas tamen rationes formales non habent esse nisi objective in intellectu: ergo. *Probatur minor:* nam rationes formales constitutivæ secundarum intentionum universalis, generis, speciei, definitionis, divisionis, termini, propositionis, argumentationis, & similium, nihil aliud sunt quàm relationes quædam seu habitudines, putà naturæ superioris ad inferiora, genericæ ad species, specificæ ad individua, orationis manifestativæ ad rei essentiam vel partes explicandas, prædicati ad subjectum, vocis ad propositio-

nem quam componit vel terminat, antecedentis vel præmiſſarum ad concluſionem illatam, & ſic de aliis: atqui illæ habitudines aut relationes habent tantum eſſe objective in intellectu comparante, componente, inferente, illoque ceſſante penitus evaneſcunt, ut manifeſtum eſt; nec quiquam, reale intelligitur advenire aut deperire rebus ipſis per hoc quod ex eis formentur aut formari deſinant propoſitiones, definitiones, & ſimilia, ſubindeque attribuantur ipſis aut ab eis removeantur illæ relationes: ergo.

Reſpondebis negando ſecundas intentiones Logicales conſiſtere formaliter in huiuſmodi relationibus, ſed in ipſis operationibus intellectus, aut quod in idem recidit, in denominationibus extrinſecis ab illis operationibus deſumptis, ita ut univerſale v. g. nihil aliud ſit quam natura ſuperior prout ab actu intellectus extrinſece denominatur præciſa à ſuis inferioribus aut comparata ad ipſa; propoſitio ſit formaliter ipſa extrema ut per actum judicii extrinſece etiam dicuntur enunciata aut unita; argumentatio pariter, ipſum antecedens & conſequens quatenus unum denominatur illatum ex alio per actū diſcurſus: relationes vero illæ ſint tantum quid conſequens & non conſtitutio ſecundarum intentionum, atq; ita non erunt id quod conſideratur per ſe ab ipſa Logica ſed ipſæ operationes, ſubindeque quid reale.

Sed

Sed contra sic arguo: secundæ intentiones logicales, seu per se consideratæ à logica, sunt intentiones objectivæ, non verò formales: sed secundæ intentiones objectivæ consistunt formaliter in illis relationibus (licet formales ex quibus resultant, sint ipsæ operationes:) ergo. *Maior in primis est evidens*, logica enim considerat secundas intentiones propositionis, definitionis, & hujusmodi in rebus ipsis cognitis in quibus formantur: ergo objectivas. *Minor vero non est minus clara:* nam hæc propositio objectiva v. g. Homo est animal, intelligitur à nobis & concipitur habere intrinsece rationem propositionis, & denominari intrinsece talis, dicere vero contrarium, est ire contra mentem & modum concipiendi communem: atqui non intelligitur denominari intrinsece propositio ab ipsa operatione intellectus enunciante unum de alio, sed tantum extrinsece ut patet: ergo solum à relatione unionis inter prædicatum & subjectum, quæ ex illa operatione intelligitur resultare, subindeque in illa formaliter consistit. Et sic de aliis intentionibus. Ex quibus omnibus.

Inferes primo ens rationis directivum operationum intellectus, seu secundo intentionale, esse objectum non solum formale, sed etiam totale & adæquatum Logicæ, ut asseritur in conclusione; *non vero ens rationis communissime sumptum*

tum prout complectitur tam secundas intentiones, quam figmenta, & alia; nec ex opposito solum syllogismum aut demonstrationem, vel etiam triplicem modum sciendi, definitionem, divisionem, argumentationem, ut nonnulli autumant.

Ratio est, quia objectum totale & adæquatum dicitur illud quod ita scientiã adæquat, ut totum consideretur per se ab illa; & præter ipsum, nihil; seu quod habet has duas conditiones, prima est ut ambiat & comprehendat omnia de quibus per se in illa scientia disseritur; secunda, ut nihil ulterius comprehendat: atqui ens rationis secundo intentionale & directivum operationum intellectus comprehendit omnia de quibus per se agitur in Logica, vel tanquam sui species ut definitionem, divisionem, propositionem, argumentationem; vel tanquam partes, ut terminos, universalia, & hujusmodi; vel tanquam proprietates, ut suppositionem, appellationem, oppositionem, æquipollentiam, conversionem, probationem, reductionem, & similia; nihilque amplius sub se comprehendit; *& ratio est*, quia illa omnia conducunt ad directionem operationum intellectus, ut patet ex dictis initio huius proleg. & nulla alia rationis entia ad id deserviunt, ut constat de figmentis, de negationibus, de relationibus dextri ad sinistrum, Creatoris ad creaturam; subindeque illa omnia & sola comprehenduntur

per

per se sub ente rationis directivo intellectus: ergo illud erit objectum adæquatum logicæ non verò ens rationis communissimè sumptum, cum comprehendat ea etiam, quæ non considerantur à Logica, nec ex adverso solus syllogismus aut demõstratio, vel triplex modus sciendi, cum non comprehendat omnia; erunt tamen hæc objecta partialia, principaliora cùm ad ea cætera omnia ordinentur.

Inferes secundo objectum materiale Logicæ esse res ipsas quatenus cognitas, seu prout sunt objectivè in intellectu: objectum enim materiale dicitur illud cui applicatur formale, quodque ratione illius dumtaxat consideratur, atqui secundæ intentiones, quæ sunt objectum formale Logicæ applicantur rebus ipsis ut cognitis, sicut supra ostensum est, nec res illæ considerantur à Logica, nisi ratione secundarum intentionum, quæ in eis attenduntur: ergò. Et hac ratione substantia, quãtitas, qualitas, & alia realia quæ non considerantur á Logica nisi quatenus attenditur in eis ratio generis, speciei & similium, pertinent tantùm ad objectum materiale Logicæ

Inferes tertiò, aliud esse finem, aliud objectum Logicæ: Objectum enim dicitur id de quo agit, nempe secundæ intẽtiones: finis verò dicitur id cujus gratia de illis differit, qui est dirigere mediã illarum notitiã intellectũ ne aberret imposterum in definiendo, dividẽdo & discurrẽdo tam circa propriam materiam, secun-

secundarum intentionū & hic est finis proximus logicæ quam circa materiam alienam seu objecta aliarum scientiarum qui est finis remotus ejusdē. *Objicies* 1. Objectum Logicæ sunt operationes intellectus: atqui illæ sunt ens reale: ergò Minor est per se evidens. Major verò probatur, objectum formale Logicæ sunt secundæ intentiones: atqui illæ nihil aliud sunt reipsa quam ipsæ operationes intellectus, non quidem absolutè sumptæ, sed ut dirigibiles aut directæ, seu ut redactæ ad formam definitionis, &c. ergò hoc modo erunt objectum Logicæ.

Confirmatur: definitio, propositio, argumentatio nihil aliud sunt quàm simplex apprehensio rei per genus & differentiam, aut judicium de ea aliquid affirmans vel negans vel actus unum ex alio inferens: vel quod in idem redit, sunt tantùm denominationes extrinsecæ in rebus ab hujusmodi operationibus petitæ: ergò.

Confirmatur 2. Nam licet ex illis operationibus quibus definimus, enunciamus unum de alio, aut inferimus, non resultarent in rebus relationes rationis, adhuc haberent rationem definitionis, &c· ergò ipsæ operationes sunt secundæ intentiones & objectum Logicæ, relationes verò illæ per accidens ipsis conjunguntur.

Ad objectionem nego majorem: ad probationem ejus distinguo majorem: objectum Logicę sunt secundæ intentiones *objectivæ concedo:*

for-

formales nego. Similiter *ad minorem respondeo* secundas intentiones,nō objectivas, sed formales esse ipsas operationes intellectus, quæ dicuntur dirigibiles aut directæ, nō quasi in forma definitionis aut aliarum intentionum dispositæ vel redactæ, ut falsò supponit arguens(cum non operationes intellectus sed res ipsæ mediis illis operationibus ad formas hujusm. secundarum intentionum redigantur:) sed quia ex præsuppositâ illarū notitia natę sunt procedere rectè & sine errore: unde

Ad 1. & 2. confirmationem respondeo. antecedens utriusque esse verum de definitione, propositione, & argumentatione formalibus,non de objectivis, quæ tamen, sunt formale objectum Logicæ: unde negatur utriusque consecutio.

Instabis: Logica considerat per se primò argumentationem formalem : ergò idem dicendum de definitione & aliis, *Probatur antecedens*: considerat enim demonstrationem ut est argumentatio seu syllogismus faciens scire: atqui demonstratio formalis est quæ facit scire, non verò objectiva: ergò, *Probatur minor:* causa enim assensus scientifici conclusionis sunt assensus majoris & minoris, qui constituunt demōstrationem formalem non verò ipsæ propositiones objectivè sumptæ, aut forma syllogistica ex parte demonstrationis objectivæ se tenens, quæ cùm sit quid rationis non potest sine dubio causare ens reale quale est scientia. ergò.

Re-

Respondeo negando antecedens: ad probationem respondeo, quòd tam demonstratio formalis, sive assensus quibus constat: quàm demonstratio objectiva, seu ipsæ propositiones & dispositio syllogistica ipsarum, dicuntur facere scire: illa quidem per modum causæ effectivæ scientiæ, *hac verò per modum conditionis objectivæ sine qua assensus illi non efficerent scientiam*: & hoc secundo modo consideratur formaliter & per se à Logica, non autem primò: Logica enim considerat tantùm, per se loquendo, conditiones ex parte propositionum objectivè sumptarum requisitas ad generandam scientiam. *His positis distinguo illam majorem*: Considerat demonstrationem ut est syllogismus faciens scire *per modum causæ*, nego: per *modum conditionis*, concedo: similiter dicendum ad minorem & ad alia quæ subduntur, quæ probant tantum demonstrationem objectivam aut dispositionem syllogisticam non posse esse veram causam scientiæ; non verò quod non sit conditio indispensabiliter requisita, sicut significatio vocibus prolatis ad causandas rerum species in auditu, & in sacramentis ad causandam gratiam in anima.

Objicies 2. Logica dirigit operationes intellectus: ergo sunt objectum ejus: unde etiam communiter dicitur versari circa illas.

Respondeo negando consequentiam ex 3. corolla-

rollario. Dicitur ergò versari circa hujusmodi operationes *non tanquam circa objectum*, nisi ad summum materiale, quatenus de illis nonnihil differit ratione secundarum intentionum: *sed sicut circa finem*, ejus enim scopus & finis est dirigere intellectum & operationes ejus, ut illo loco diximus.

Obiicies 3. Specificativum Logicæ debet esse aliquid reale: sed objectum est specificativum ejus, ergò. *Minor est certa*, quælibet enim facultas specificatur à proprio objecto, & per ordinem ad illud definitur ac distinguitur ab aliis. *Major verò* probatur, quod tribuit realem differentiam debet esse quid reale, sed specificativum, Logicæ tribuit ipsi realem differentiam, nam distinguit realiter Logicam ab omnibus aliis scientiis.

Respondeo distinguendo majorem: Specificativum intrinsecum, concedo. extrinsecum, nego: Objectum verò est tantum specificativum extrinsecum scientiæ, intrinsecum verò est ordo ad illud objectum, qui realis est. *Ad probationem majoris distinguo*: Quod tribuit realem differētiam per modum principii intrinseci, aut causæ, concedo: per modum objecti aut termini extrinsecè terminantis, nego: objectum autem specificativum non tribuit differentiam realem primo modo, sed tantum secundo, quatenus est id per habitudinem ad quod Logica differt ab aliis scientiis.

Instabis. Illa habitudo seu ordo ad objectū est

est realis, ergò & ipsum objectum debet esse reale. *Probatur consequentia:* ordo realis debet esse ad terminum realem: objectum est terminus illius ordinis: ergò, &c.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem respondeo majorem esse veram de ordine seu relatione reali prædicamentali, non de transcendentali, qualis est ordo specificativus scientiæ. *Ratio disparitatis ex dicendis in prædicamento relationis est*, quia relatio prædicamentalis (quæ dicitur talis quia constituit illud speciale prædicamentum) est accidens rei superadditum, cujus totum esse est se habere ad terminum, quem subinde exposcit realiter exstientem ut ipsa sit à parte rei: relatio verò transcendentalis (quæ talis appellatur eo quod omnia transcendat & per omnia rerum genera divagetur) est duntaxat aliqua connotatio, seu ipsamet rei entitas ut connotans aliquid extrinsecum sive existens à parte rei, sive non.

Objicies 4. Ens rationis non est scibile: ergò non est objectum Logicæ quæ est scientia: *Antecedens probatur:* quod non est ens non est cognoscibile aut scibile, scibilitas enim & cognoscibilitas est proprietas entis, unde est illud effatum, *Quod non est, sciri non potest.* atqui ens rationis non est ens, saltem propriè & simpliciter: ergò non est scibile propriè & simpliciter loquendo.

Re-

Respondeo negando antecedens: ad probationem respondeo quòd ut aliquid sit simpliciter scibile, non requiritur quòd sit ens simpliciter, sed sufficit quod sit ens secundum quid, habens proprietates de se demonstrabiles, quale est objectum Logicæ, de secundis enim intentionibus demonstrantur multæ affectiones & proprietates, *ut patet ex dictis supra proleg. 3. concl. 1. Vide ibi.*

PROLEGOMENON V.

An Logica rectè dividatur penes diversas objecti partes, & intellectus operationes, ubi variæ entis rationis afferuntur divisiones.

OBJECTUM Logicæ demonstravimus esse ens rationis directivum operationum intellectus: cujus subinde diversæ partes diversis Logicæ partibus subjiciuntur. In quas verò partes hujusmodi ens rationis, & consequenter ipsa Logica dividatur, ut intelligas.

Nota ens rationis in communi (quod ut diximus proleg. præcedenti) *appellatur id quod habet tantùm cognosci seu esse in intellectu objectivè*, subindeque consistit in aliqua entitate ficta quam intellectus apprehendit in rebus, dum eas cognoscit aliter quàm in se sint, (ut fusius explicabitur in Metaphysica) *dividi*

primò

primò in illud quod habet fundamentum in rebus ipsis, ut eſt relatio Dei ad creaturas e. g. ſine qua non poſſumus Deum ut Creatorem concipere; & *in illud quod abſq; ullo fundamento & neceſſitate ad libitum efformat intellectus*, ut ſunt chimæræ & alia pura figmenta quibus omiſſis

Ens rationis habens fundamentum in re ſubdividitur in Negationem (ſub qua comprehendo privationem) & Relationem, *pro quo Nota*, negationem poſſe ſumi duobus modis, *primò materialiter* prout eſt à parte rei mera carentia formæ, ſive in ſubjecto inepto, qua ratione dicitur ſimplex negatio, ſive in ſubjecto apto, quo modo appellatur privatio: *ſecundò formaliter*, prout à nobis concipitur inſtar cujuſdam formæ poſitivæ, concipimus enim cæcitatem verb. gr. inſtar cujuſdam qualitatis malè affici ētis oculum, tenebras & privationem lucis ad modum alicujus formæ nigræ in aere: & hoc poſteriori modo accipitur, in præfata diviſione. *Cujus ſufficientia ex eo convincitur*, quia nullum formari poteſt ens rationis cum fundamento in re, quod non reducatur ad negationem, vel ad relationem. Vel enim formatur concipiendo non ens ſeu aliquam negationem aliter quam ſit, id eſt ad modum entis & alicujus poſitivi, & ſic eſt negatio ut patet; vel concipiendo ens & aliquid poſitivum, aliter etiam quàm ſe habeat, puta cognoſcendo ipſum in ordine ad aliud,

ad

ad quod à parte rei non ordinatur, ut cum concipimus Deum in ordine ad creaturas, animal in comparatione ad species, vel distinguendo per conceptũ aut uniẽdo quod à parte rei non est distinctum aut unitum, sed idem, ut animal & rationale in homine; & hoc ens rationis semper est relatio. sive simplicis comparationis, ut in prioribus exemplis de Deo & de animali; sive distinctionis aut unionis, ut in aliis, nec unquam cogitur intellectus concipere aliquid positivũ, aliter quam in se sit, subindeq; nec in ejus cognitione format, cum fundamento seu ex necessitate, ens rationis nisi referendo aliquo ex modis dictis aut similibus, ut attentè cõsideranti patebit; atq; adeò omne ens rationis tale erit relativum. Relicto autem ente rationis negativo.

Ens relationis relativum seu relatio rationis subdividitur in eam, quæ fundatur immediatè in ente reali in se spectato; & in eam quæ fundatur in ipso ut cognito, seu quod idem est in denominatione extrinseca petita ab actu intellectus; & in illam quæ fundatur in eo ut volito, seu per voluntatem ad aliquid deputato, quod pariter idem est ac fundari in denominatione sumpta ab actu seu beneplacito voluntatis. Primi generis est relatio Creatoris ad creaturas e. g. cujus fundamentum est ipsamet Omnipotentia quâ illas creavit, ideò enim intellectus noster refert Deum ad crea-

creaturas, quia Deus illas produxit. Secundi generis est relatio universalitatis seu genereitatis v. g. in animali respectu suorum inferiorum, cujus fundamentum est ipsum animal ut præcisum ab ipsis seu cognitum non cognitis illis, ideò enim animal fundat & per actum subsequentem & reflexum suscipit relationem illam ad sua inferiora, quia prius ab illis abstractum fuit. Tertii denique generis est relatio vocis significativæ e. g. ad rem significatam, quæ fundatur in ipsa voce ut per voluntatem humanam instituta & deputata ad significandum, ideò siquidem intellectus noster refert hanc vocem, Leo, ad naturam rugibilem, quia homines decreverunt ut illam significaret. Omissis relationibus rationis primi & tertii generis, quæ ad nostrum institutum non pertinent.

Relatio rationis fundata in rebus ut cognitis, quæ hac de causa appellatur secunda intentio, ut præcedenti prolegomeno vidimus, dividitur in eam quæ fundatur & resultat in rebus ut cognitis per simplicem apprehensionem, qualis est v. g. relatio genereitatis in animali in quo resultat per actum quo simpliciter apprehenditur in ordine ad sua inferiora, & in illam quæ resultat in rebus per actum judicii, ut relatio unionis inter prædicatum & subjectum: & illam denique, quæ per actum discursus, ut relatio antecedentis aut præmissarum ad conclusionem.

illa-

illatam. Et hæ ſunt partes objecti logicæ ſeu entis rationis directivi operationum mentis, quod eſt idem ac ſecunda intentio, ut loco citato vidimus, quæ dicitur & eſt directiva intellectus, eò quòd per notitiam illius perficitur & inſtruitur mens in modo exercendi rectè & abſque errore operationem illam ex quā nata eſt quælibet hujuſmodi intentio reſultare. His poſitis

Dico Logicam rectè dividi in tres partes juxta tres prædictas partes objecti formalis ipſius, ſeu tria genera ſecundarum intentionum directivarum trium mentis operationum ex quibus reſultant: nec tamen ſunt tres habitus etiam partiales, ſed unicus ſimplex.

Prima pars eſt per ſe evidens: ſicut enim una totalis facultas dividitur ab alia penes objectum totale diverſum, ita diverſæ partes ejuſdem facultatis rectè ſecernuntur ab invicem penes diverſa objecta partialia: igitur legitima erit Logicæ partitio penes illud triplex genus ſecundarum intentionū directivarum, primæ, ſecundæ, & tertiæ operationis. Vide dicenda initio cujuſque partis.

Secunda verò pars concluſionis probabitur in Metaphyſica, ex eo quòd hujuſmodi objecta partialia conveniant in una communi & ſimplici ratione formali, ſub qua attinguntur à logica, ex quo ſequitur ipſam eſſe unicum ſimplicemque habitum.

PRIMA



PRIMA PARS LOGICÆ.

De Ente rationis directivo primæ operationis intellectus.

SEU

De Prædicabilibus & Prædicamentis.



RIMA igitur pars Logicæ illud sibi explicandum vindicat *Ens rationis ea(ve secundas intentiones, quarum notitia dirigitur intellectus in prima sua operatione*, *j. in simplici rerum apprehensione*, quæ tunc censetur directa, quando res simplices apprehenduntur, ut sunt in se, quod fit per definitionem & divisionem: ad definitionem verò & divisionem ordinantur prædicabilia & prædicamenta, ad eas enim necesse est nosse rationes genericas, specificas, differentiales, proprietales, accidentales, per quas res definitur aut dividitur: Quæ important duo, nempe ipsas

ipsas secundas intentiones prædicabilium generis, speciei & hujusmodi. & res ipsas seu perfectiones reales prædicamentorum, substantiæ, quantitatis, qualitatis, & aliorum, quę subeunt illas intentiones & ab eis denominantur. Unde de his in hac prima parte acturi sumus, non quidem de definitione aut divisione, de quibus ea quæ in prolegomenis parvæ logicæ prælibavimus, abundè sufficient, sed aliis quæ ad ipsas ordinantur j. de universalibus seu prædicabilibus, & de prædicamentis quæ licet materialiter sint res ipsæ, de formali tamen important secundam intentionem; cum nihil aliud sit prædicamentum quàm series seu coordinatio ipsorum prædicabilium quæ fit per intellectum.





IN ISAGOGEN Porphyrii.

De V. Vniversalibus.

DISPUTATIO I.

De Vniversalibus in communi.

SECTIO I.

An dentur Vniversalia in rebus.



NIVERSALE, *quod generaliter loqnendo nihil aliud est quam aliquid unum habens ordinem ad plura*, solet dividi in *Vniversale in causando*, *in significando, in essendo aut prædicando.*

Vniversale in causando dicitur qualibet causa communis, quæ scilicet una existens varios producit effectus, ut DEUS OPTIMUS MAXIMUS, Supernæ mentes, Orbes

Orbes cœlestes. *Universale in significando aut repræsentando est vox aut conceptus communis*, ut vox Homo, aut species ipsius in mente, quæ una existens repræsentat aut significat plura, vel naturam pluribus communem. *Universale verò in essendo aut prædicando est natura ipsa communis, quæ nimirum una cùm sit, inest multis (actu vel aptitudine) & prædicatur de illis*, unde definitur communiter hoc universale, *unum in multis aptum prædicari de illis*, ut Animal, Homo, & hujusmodi. Differunt autem universale in essendo & in prædicando sicut essentia & proprietas; quia cùm ex inesse sequatur dici aut prædicari, ex eo quòd universale sit unum in multis, sequitur tanquam propria passio ipsius quod sit aptum prædicari de illis; & ideò modò per unum, modò per aliud definitur, cum hoc tamen discrimine, quod definitio quæ datur per habitudinem ad essendum in multis cum dicitur universale esse unum aptum inesse pluribus, est essentialis, quæ verò per ordinem ad prædicandum assignatur dicendo universale esse unum aptum prædicari de multis, est solùm descriptiva, siquidem datur per proprietatem. Hoc posito.

Non est quæstio de universalibus in causando, quæ absolutè sunt res singulares, ut perspicuum est, nec ad institutum logicum spectant; neque de universalibus in signifi-

 cando

cando aut repræſentando, quæ ſunt ſolùm in vocibus aut conceptibus, quæ pariter ſingularia quædam ſunt abſolutè: ſed de univerſalibus in eſſendo ſive prædicando j. de naturis communibus utrum ſcilicet reperiantur in rebus.

Negant Nominales, contendentes ſola nomina, aut conceptus formales (qui appellari poſſunt nomina interna ad differentiam externarum vocum) eſſe univerſalia, negantes correſpondere ipſis conceptus objectivos aut naturas communes in rebus, ſed ſingularia duntaxat: propter quod, quia de ſingularibus nihil certò ſciri aut demonſtrari poteſt utpote contingentibus, fluxis, & mutabilibus, ſcientias à rebus omninò abſtulerunt, ſecuti in hoc veſtigia nonnullorũ veterum, Heracliti ſcilicet & Cratyli, & totius gregis Epicureorũ in eo ſolùm diſſidentes ab eis, quod illas de nominibus aut ſignis (quæ ſola agnoſcebant univerſalia, ſubindeque perpetua & neceſſaria) haberi poſſe conceſſerũt: ex quo Nominales dicti ſunt, quòd ſcilicet tantum tribuiſſent:

In altero extremo eſt ſententia Platonis (ſi Ariſtoteli 1. *Metap. c. 6.* ejus diſcipulo credamus) admittentis univerſalia à parte rei à ſingularibus ſeparata, præſertim verò naturas ſpecificas ſubſtantiarum quarum participatione individua habeant eſſe tanquam a veris principiis. Mediam autem viã ſequẽdo,

Dico

Dico dari à parte rei universalia, non tamen à parte rei separata à singularibus sed in eis existentia.

Pro intelligentia adverte, universale, cum sit concretum quoddam, duo importare, unum de materiali, nempe rem ipsam aut naturam qua denominatur universalis: alterum de formali, scilicet universalitatem, qua est forma denominans. Hic agimus solum de universali, quoad materiale, sectione sequenti acturi de formali. Sensus igitur conclusionis est. *præter vocabula aut conceptus formales dari à parte rei naturas aut conceptus objectivos communes ipsis correspondentes, seu res qua denominantur universales; eas tamen non existere seorsim à singularibus, sed in iisdem.*

Prima pars probatur contra Nominales. 1. *sic.* Dantur conceptus & voces communes. ergò & res communes seu universales. *Antecedens ultrò concedunt. Probatur consequentia:* voces communes significant res: non significant res singulares, alias nullum esset discrimen inter vocem communem, puta hanc, Homo, & singularem ut Petrus: ergò significant res seu naturas communes. *Respondebis*, vocem communem significare non naturam communem sed omnia singularia, in quo differt à voce singulari quæ unicum duntaxat individuum significat. *Contra*, quia ista propositio esset falsa, Petrus est homo, sensus enim

 esset,

esset, Petrus est omnia singularia humana.

2. Sic: Naturæ quæ non sunt secundum se & essentialiter singulares, sunt communes & universales, singulare enim & universale opponuntur: atqui dantur à parte rei naturæ quæ secundum se & sua prædicata essentialia non sunt singulares: ergò. Probatur minor: illa non est secundum se singularis, quæ reperiri potest & de facto reperitur in multis, singulare enim est in uno tantum, sed natura humana v. g. reperitur in Petro, Paulo &c. ergò.

Tertiò. Dantur scientiæ de rebus ipsis non de singularibus, cùm sint contingentia: ergò de universalibus quæ sunt necessaria & perpetua, subindeque dantur illa in rebus. *Major probatur*, Physica enim v. g. de re ipsa significata per hoc nomen *Homo*, non verò de nomine illo demonstrat quod sit disciplinæ capax: & sic de aliis ergò.

Secunda verò pars conclusionis, quæ Platonicas ideas destruit, ostenditur 1. *Sic*: Quod est de essentia rei, non est realiter separatum ab illa, alias idem esset realiter separatum à seipso: sed naturæ communes sunt de essentia singularium: ergò non sunt realiter separatæ ab illis. *Patet minor*. Natura humana est natura communis: sed illa est de essentia singularium, Petrus enim est essentialiter homo, similiter Paulus & alii: ergò.

2. Quia

2. Quia illæ naturæ separatæ essent communes, ut vult Plato, & non essent communes, sed singulares, cùm quælibet haberet suam propriam entitatem hanc numero distinctam à qualibet alia re: *quod confirmatur ex eo*, quod unaquæque facta esset per aliquam actionem certam & determinatam quæ non nisi ad aliquid determinatum subindeque singulare terminatur: ergò sententia Platonis contradictionem implicat.

Objicies. Implicat naturam esse universalem, & non esse ab individuis separatam: ergò vel non dantur naturæ universales à parte rei, contra primam partem conclusionis, vel illæ sunt à singularibus separatæ contra secundam *Probatur antecedens* quidquid est in individuis & singularibus, est singulare, utpote identificatum cum illis aut per illa cõtractum: ergò implicat quod aliqua natura sit universalis, & quod simul sit in individuis, aliàs esset simul universalis & singularis.

Respondeo negando antecedens, *ad probationem respondeo*, dupliciter posse aliquid dici singulare, vel per se, vel per accidens. Singulare per se dicitur id quod in sua propria essentia & ratione formali includit singularitatem, ita ut nequeat intelligi sine illa, ut Petrus, Paulus. Singulare verò per accidens dicitur illud quod secundum se est aliquid commune, quia scilicet in sua ratione essentiali singularitatem non inclu-

dit, poteſtque ſine illa intelligi, nihilominus ex conjunctione cum individuis & ſingularibus per accidens, & ratione illorum ſingularizatur, ut homo & quælibet alia natura communis. Hoc poſito *reſpondetur ad illam probationem diſtinguendo antecedens.* Quidquid eſt in individuis eſt ſingulare, vel per ſe, vel per accidens, concedo : per ſe, nego : & nego conſequentiam : ad probationem ibi ſubjunctam reſpondeo illam naturam eſſe univerſalem per ſe, & ſingularem per aliud aut per accidees, in quo nulla eſt implicantia.

§. Unicus.

Quomodo diſtinguantur Univerſalia à ſingularibus.

CUM naturæ univerſales non exiſtant ſeparatæ ab individuis, ut oſtenſum eſt contra Platonem, videndum reſtat an aliqua ſaltem ratione ab illis diſtinguantur. Pro quo

Nota diſtinctionem aliquorum inter ſe aliam eſſe realem, aliam Rationis. Diſtinctio Realis eſt quæ reperitur inter ea quorum unum à parte rei & ante opus intellectus non eſt aliud : quæ rurſus eſt duplex, alia realis major, ſeu diſtinctio rei à re, qualis reperitur inter Petrum & Paulum, materiam & formam, & ſimilia quorũ

unum

unum differt ab alio sicut res à re; *alia realis minor; quæ dicitur etiam modalis aut formalis, quæ videlicet intercedit inter rem & modum* puta inter corpus & ubi ipsius, inter Petrum & ejus sessionem, vel inter modum & modum, ut inter sessionem & ubi (supponendo hæc esse & dici posse in aliquo sensu modos, de quo disput. 9.) vel inter duas formalitates, quarum una ante opus intellectus non est alia, ut inter actualem inhærentiam accidentis & ejus existentiam quã sine illa habere potest, ut patet in mysterio Eucharistiæ, vel inter subsistentiam & existentiam substantiæ, juxta opinionem quæ eas distinguit ante opus intellectus, de quo in Metaphysica. *Distinctio autem rationis est illa*, quam facit intellectus inter ea quæ à parte rei sunt idem, separando ea per conceptum; Estque etiam duplex: alia quæ dicitur *distinctio Rationis ratiocinantis, quæ est quando intellectus absque ullo fundamento distinguit, & diversis conceptibus cognoscit quæ à parte rei sunt idem*, ut cum eundem Petrum distinguit in prædicatum & subjectum in hac propositione, Petrus est hic homo, Petrus est Petrus, *alia, quæ appellatur distinctio Rationis ratiocinatæ seu virtualis, cui nimirum respondet aliquod fundamentum in re præbens occasionem intellectui, ut unam rem velut duas concipiat*, quo pacto se habent misericordia, & justitia, & alia attributa

in Deo, quæ licet ſint una ſimpliciſſima eſſentia, propter diſtinctos tamen effectus à nobis concipiuntur ut diſtinctæ perfectiones.

Sed ſciendum inter has diſtinctiones, Realem ſcilicet & Rationis, Scotum ſtatuere quandam diſtinctionem mediam, quam vult eſſe minorem diſtinctione reali, & majorem diſtinctione rationis. *Quam hoc unico argumento cum cæteris Philoſophis rejicio.* Inter duo contradictoria nullum datur medium: atqui diſtinctio realis & diſtinctio rationis ſunt duo membra contradictoriè oppoſita, aut certè contradictionem involventia, quæ dividunt diſtinctionem ut ſic: ergò inter illas non datur ulla diſtinctio media. *Probatur minor:* diſtinctio quæ eſt ante omnem mentis operationem, & diſtinctio quæ non eſt ante omnem mentis operationem, ſed beneficio illius, contradictionem inter ſe involvunt: atqui diſtinctio, quæ eſt ante omnem mentis operationem eſt realis, & diſtinctio quæ non eſt ante omnem mentis operationem ſed illius duntaxat beneficio, eſt diſtinctio rationis: ergò *His prælibatis.*

Dico 1. inter naturas Vniverſales & earum ſingularia nullam intercedere diſtinctionem ante operationem intellectus; nec generaliter loquēdo inter naturam ullam ſuperiorem & inferiorem, putà inter ſubſtantiam, corpus, vivens, animal, hominem, & individuum, in eodem Pe-

tro e.g. Hæc *conclusio est contra Scotum*, qui inter hos gradus ponit suam distinctionem mediam, ex cujus proinde refutatione jam à nobis facta desumi potest prima nostra probatio.

Probatur verò insuper conclusio Ratione fundamentali supponendo ex dicendis in Physica par. 4. disp. 1. sect. 3. unam solum esse formam substantialem in quolibet composito, quæ ordine quodam tribuit ei omnes gradus metaphysicos, ita ut eadem anima rationalis in Petro e. g. quatenus est forma substantialis tribuat ei gradum genericum substantiæ; quatenus corporea (supple ut quo & in esse formæ, modo alias explicando, entitativè enim spiritualis est) præbeat ei gradum corporis; prout vivēs seu forma vegetativa, gradum viventis; prout sensitiva, gradum animalis; prout rationalis, gradum specificum hominis; prout hæc (per ordinem ad hanc numero materiam sigillatam quantitate, de quo in Metaphysica) rationem individualē talis hominis seu Petri: *Ex quo sic argumentor* Eo modo distinguuntur in uno & eodem individuo illi gradus seu naturæ universales ab inferioribus, quo distinguuntur in forma tribuente eos: atqui in forma non distinguūtur ante operationem intellectus: ergò. *Major est evidens*, cùm enim effectus formalis alicujus formæ nihil aliud sit quàm ipsa forma ut communicata, nulla est distinctio in

esse-

effectibus formalibus nisi quæ reperitur in forma aut formis tribuentibus illos subjecto: hujusmodi autem gradus nihil aliud sunt quam effectus formales formæ substantialis: quæ ut dixi prout est præcisè forma substantialis & differt ab accidentali, dat esse substantiale, prout &c. *Minor verò probatur*: quia jam nō esset unica forma sed totidem distinctæ tanquam res à re quot gradus: hoc autem est omninò falsum, ut loco suprà citato ostendetur: ergò. *Probatur sequela majoris*, nā quilibet gradus formæ est forma ipsa, gradus substantialis in ipsa est ipsamet in quantum substantialis & sic de aliis: ergò si illi gradus distinguantur ante omnem mentis operationem, distinguentur ipsæ formæ; & cùm aliunde quælibet forma sit res quædam, distinguentur sicut res & res.

Dico 2. naturas universales distingui virtualiter, seu distinctione rationis ratiocinata à singularibus, & idem dico de distinctione graduum genericorum à specificis, aut à differentiis.

Ratio est evidens: diversa enim principia à quibus radicaliter sumuntur natura specifica & singularitas, nempe forma & materia signata; item diversæ perfectiones aut operationes propriæ vel communes, quæ procedunt aut exercentur ab uno & eodem individuo, putà Petro, sufficientissimum præbent intellectui fundamentum distinguendi in ipso diversos gradus & conceptus obje-

objectivos, puta gradum substantiæ quatenus videt ipsum per se subsistere, quod habet commune cum Angelis; corporis, quatenus cernit in ipso quantitatem & extensionem, in quo convenit cum lapide; viventis, prout in illo deprehendit operationes vegetandi communes ipsi cum plantis, animalis, quatenus videt ipsum sentire cum brutis; hominis aut rationalis, prout videt ipsum discurrere, quod est ipsi commune cum aliis similibus individuis. Quæ distinctio virtualis seu rationis ratiocinatæ sufficit ut hi gradus aut conceptus objectivi explicari queant diversis definitionibus, quæ sunt inadæquatæ sicut & ipsi conceptus; item ut de eis verificentur contradictoria, puta quod natura humana in Petro sit ratio conveniendi cum aliis, Petreitas non sit ratio conveniendi sed differendi ab illis: & sic de aliis.

SECTIO II.

An Natura sint formaliter Universales ante opus intellectus.

DICO. *Quamvis natura, quæ denominantur Universales, sint à parte rei, prout superiori sectione statuimus, non tamen sunt aut denomi-*

nominantur formaliter universales à parte rei, sed solùm per intellectum. Quod est universale esse à parte rei solum quoad materiale, non verò quoad formale seu quoad universalitatem quæ est forma constitutiva universalis. *Est contra Scotum, Scotistas, & alios nonnullos.*

Probatur: quia in triplici tantum statu potest natura considerari: *vel secundum se*, prout importat solum sua prædicata essentialia, aut proprias passiones: *vel ut est in individuis*, prout importat nedum prædicata essentialia & proprietates, sed etiam singularitatem, existentiam, & accidentia realia quæ illi in eo statu conveniunt: *vel tandem in intellectu*, prout importat quędam accidentia rationis quæ ipsi per operationem illius attribuuntur, quatenus ab eo cognoscitur aliter quam sit, putà ut præcisa à suis inferioribus, ut ordinata seu relata ad illa Quidquid ergo convenit naturæ, vel convenit ipsi secundum se, vel ut est in individuis, vel ut est in intellectu: sed universalitas seu unitas & aptitudo ad essendum in multis (in quibus universalitas consistit) non competit naturæ secundum se, nec ut est in individuis: ergo tantum ut est in intellectu. *Probatur minor* & inprimis quod universalitas non conveniat naturæ in secundo statu, seu ut est in individuis, res est evidens, cùm ut talis sit singularis & incommunicabilis, quod universalitati repugnat: quòd verò nō competat

petat illi secundùm se & in priori statu, de quo est difficultas, *probatur etiam facilè.* Quia naturæ secundum se conveniunt tantùm sua prædicata essentialia & proprietates quæ essentiam ut sic consequuntur: sed universalitas nec est prædicatum essentiale, nec proprietas naturæ: ergò. *Probatur minor*, & primò quòd non sit prædicatum essentiale, est per se notum. neque enim in conceptu aut definitione essentiali naturæ humanæ, v. g. importatur universalitas seu aptitudo ad essendum in multis. Quòd verò nec sit proprietas ejus probatur hac ratione quæ convincit à fortiori nō esse prædicatum essentiale, quia scilicet alias conveniret etiam inferioribus ejus, ut patet de risibilitate quæ ideo convenit Petro, Paulo, & aliis, quia convenit homini secundum se tanquam proprietas: ergo si universalitas pariter esset proprietas ejus, conveniret etiam illis, & sic Petrus, aut natura per Petreitatem contracta diceretur universalis, quod implicat cùm ut talis sit singularis & incommunicabilis.

Totus hic discursus potest sub hac etiam forma proponi. Quidquid convenit naturæ, vel est de essentia ejus aut proprietas, vel est accidens reale, vel accidens rationis: universalitas nec est de essentia naturæ aut ejus proprietas, alias comitaretur eam in omni statu, etiam contractionis; nec est accidens reale illius, cum accidens reale conveniat per se primò indi-

individuis, naturæ vero communi non nisi ratione individuorum, ex opposito proprietatis: ergo est accidens rationis quod intendimus.

Respondebis universalitatem esse proprietatem convenientem naturæ secundum se, non absolutè & simpliciter, sicut risibilitas ipsi competit quæ propterea descendit in individua, sed reduplicativè ut præcisæ seu distinctæ ante omnem mentis operationem à differentiis contrahentibus, distinctione vel actuali juxta Scotum, vel saltem virtuali juxta alios nonnullos, sub hac enim consideratione videtur natura esse una, utpote non importans differentias ipsam dividentes & multiplicantes, & apta inesse multis, cùm ut talis non sit determinata ad unum, sed indifferens: unde non sequitur universalitatem illam comitari naturam in omni statu etiam contractionis ad individua, cùm conveniat ei solùm ut distinctæ & præcisæ, subindéque ut non contractæ.

Sed contra: Quia natura ut contracta per differentias est eadem realiter ac natura ut ab illis abstracta vel distincta sive actualiter (dato quòd admitteretur distinctio illa media Scoti inter naturam communem & differentias contrahentes, quam sectione præcedenti eliminavimus) sive virtualiter, illa enim diversa consideratio aut reduplicatio non variat ipsam naturam à parte rei: ergo si universalitas competeret illi à parte rei ut distinctæ

actua-

actualiter à differentiis, vel ut virtualiter prævenit ipsas, conveniret etiam (realiter loquendo, licet non formaliter reduplicativè) eidem contractæ & conjunctæ cum illis.

Confirmatur conclusio, & impugnatur magis responsio adversariorum. Quamvis enim natura secundum se sit una & apta ad essendum in multis *unitate & aptitudine negativâ*, quatenus secundum se non est divisa nec determinata ad unum, sed indifferens? *non tamen unitate & aptitudine positivâ*, quasi secundum se id habeat quod indivisa & immultiplicata manens possit simul reperiri in pluribus: atqui de ratione universalis est esse unum aptum inesse multis hoc secundo modo, & non primo tantum, ergo natura non est secundum se universalis. *Minor est evidens*, sicut enim de ratione universalis in causando aut repræsentando est quod unum existens natum sit causare aut repræsentare plura: ita de ratione universalis in essendo, de quo hic agimus, est quod unum & indivisum manens natum sit inesse multis, in quo consistit unitas & aptitudo positiva. *Major* verò præterquam quod jam probata est ab inconvenienti quod sequeretur, videlicet quòd si unitas illa & aptitudo conveniret naturæ secundum se, competeret etiam ei ut contractæ ad individua, juxta illud, quod convenit naturæ secundum se, convenit ipsi in omni statu, (quod ut dicemus in anteprædicamentis intelligitur de prædi-

prædicatis realibus & positivis, non de negativis, unde non concludit naturam, ex eo quod secundùm se sit negativè una & apta inesse multis. j. non divisa, & non determinata ad unum, debere esse talem etiam prout est contracta :) præter hoc, inquam *probatur sic* : Natura non est apta inesse multis eadem & indivisa manens, etiam secundum gradum specificum aut genericum, (nam de individuali suppono id esse proprium naturæ Divinæ quòd videlicet eadem numero reperiatur in tribus suppositis,) si totidem multiplicentur realiter naturæ specificæ aut genericæ, quot inferiora ipsarum : atqui sic est: ergo. *Probatur minor* duorum enim realiter indistinctorum multiplicato uno multiplicatur & aliud, loquendo de rebus creatis & finitis (quod addo propter divinam naturam quæ ob suam infinitatem & fœcunditatem est eadem, & non multiplicata in tribus personis à quibus tamen non distinguitur nisi virtualiter :) atqui natura humana v.g. natura animalis & quælibet alia natura communis non distinguitur realiter à suis inferioribus aut differentiis ipsam contrahentibus, *ut §. superiori ostensum est*, ergo sicut illa multiplicantur, ita & ipsa natura realiter multiplicabitur & dividetur in eis.

Superest igitur universalitatem competere naturæ in tertio tantùm statu, scilicet prout est objectivè in intellectu : ibi enim sortitur unitatem & ap-

& aptitudinem quæ sunt de ratione universalitatis, unitatem quidem, quatenus præscinditur à differentiis eam dividentibus & multiplicantibus, hoc est cognoscitur non cognitis illis, unitatem verò cum habitudine ad inferiora, quatenus juxta dicenda §. seq. comparatur ad illa ut uniformiter participabilis ab ipsis, seu ut apta inesse eis eadem & indivisa per intellectum manens. Horum autem fundamentum est unitas formalis quam habet natura à parte rei & inferioribus, ut in sequentibus constabit: illa enim est quæ intellectui occasionem præbet præscindendi naturam ab hujusmodi inferioribus, eamque concipiendi ut unam cum aptitudine ad essendum in illis.

Objicies 1. Universale est unum aptum inesse multis: natura ex se & ante omnem mentis operationem est una apta inesse multis: ergo ex se ante omne opus intellectus est universalis. *Probatur minor dupliciter: primò*, quia secundum se & sua prædicata essentialia non est divisa aut plures, ergo una; *Item*, ut talis non est determinata ad unum aliquod particulare, ergo indifferens & apta ad essendum in multis.

Secundo, Quia ab actu ad potentiam seu aptitudinem valet consequentia: natura autem ante omnem operationem intellectus est actu in multis una & eadem: ergo à fortiori ante omnem mentis operationem est apta ut sit in illis

illis eadem manens. *Probatur minor*: unum idem est ac indivisum, natura humana est indivisa, licet non materialiter, saltem formaliter in suis inferioribus, cùm in eis non dividatur per differentias formales, sed tantum materiales, ergo

Respondeo negando minorem simpliciter. Ad primam probationem distinguo utramque consequentiam, Est una & apta, *simpliciter, id est unitate & aptitudine positiva, nego: secundum quid, id est negativá, concedo*, sed hæc non sufficit ut sit & dicatur universalis nisi etiam secundum quid seu negativé. Ad secundam verò probationem ut respondeatur adverte unitatem, quantum attinet ad propositum, aliam esse formalem, aliam materialem. Unitas formalis est ipsa natura ut carens divisione formali. j. divisione causata per differentias essentiales, sive sint genericæ, & dicitur unitas formalis generica, qualis est unitas animalis, in homine, leone, & aliis, sive specificæ, & dicitur unitas formalis specifica, qualis est unitas naturæ humanæ in Petro, & Paulo, & cæteris, unitas verò materialis est eadem natura ut carens divisione etiam materiali. j. per differentias materiales & individuales causatã, qualis est unitas naturæ humanæ in Petro in quo nullo modo dividitur etiam materialiter. Quas unitates constat inprimis esse à parte rei, cùm nihil aliud sint quàm ipsæ naturæ, genericæ aut specifica & individualis, ut indi-

indivisæ: secundò non esse realiter inter se distinctas, sicut nec hujusmodi naturas aut gradus cùm in eodem supposito attenduntur, sed tantum virtualiter, juxta dicta §. præced. Tertiò illud quod est unum unitate tantùm formali non esse unum simpliciter, cùm compatiatur realem divisionem. *Ex quo in forma nego simpliciter minorem illius secundæ probationis: ad probationem distinguo minorem, natura humana est indivisa, simpliciter nego*, imò est simpliciter divisa ratione differentiarum individualium eam realiter dividentium & multiplicantium. *Est indivisa secundùm quid, & cum addito j. in divisione formali concedo.*

Instabis. Ratio univoca & quæ definitur unâ & eâdem planè definitione, dicitur una simpliciter & indivisa: atqui natura humana in Petro, Paulo, & aliis est hujusmodi: ergo est una simpliciter & indivisa in illis secundùm gradum specificum. Et idem argumentum fieri potest de natura generica animalis, & similibus.

Respondeo dici unam simpliciter non prout est à parte rei, sed prout est in intellectu, qua ratione est univoca & definitur unica definitione. *Dices*, Est univoca & definitur unica definitione secundùm quod est à parte rei: ergo à parte rei est una & eadem simpliciter secundùm illum gradum qui definitur. *Distinguo antecedens*, si ly *secundùm* reduplicet rationem quæ definitur aut dicitur univoca, conce-

concedo: *si rationem, aut conditionem* à qua id habet, nego. Id enim quod unica definitione definitur, aut dicitur univocum, est natura ipsa: id verò unde hoc habet, vel conditio sine qua non, est unitas quam sortitur in intellectu præscindente, quæ propterea unitas præcisionis solet appellari.

Objicies 2. Posito uno relativo ponitur & aliud ipsi correlatum, sunt enim simul naturâ, ut trademus disp. de relat. Atqui particulare & universale sunt correlativa. ergo posito particulari, ponitur universale: sed istud est ante omnem mentis operationem: ergo & istud.

Respondeo, concesso toto primo syllogismo, distinguendo Minorem subsumptam: & Consequens, concedendo particulare esse ante omnem mentis operationem *quoad materiale*, id est, quoad naturam ipsam quæ particularis denominatur, & similiter universalis, *negando verò de utroque quantum ad formale*, qui est respectus seu habitudo naturæ inferioris, aut minùs latè patentis ad latius patentem & superiorem, aut è contra, quæ habitudo seu relatio non est realis ut constat, cùm naturæ illæ si in iisdem suppositis attendantur, sint realiter idem. Unde etiam cùm res dividuntur in particulares & universales, intelligenda est divisio de universalibus & particularibus materialiter.

Dices: Natura superior, v.g. humana non est

est ex se singularis formaliter; ergo est formaliter universalis. Nego consequentiam, datur enim medium, nempe universale materialiter, seu quod in idem redit, Universale negativè, quod est ipsa natura prout secundum se non est determinata ad unum, sed indifferens ut determinetur & contrahatur, vel positivè & formaliter universalis fiat.

Objicies 3. Objecta scientiarum realium, ut Physicæ, & similium sunt à parte rei: sed illa sunt universalia: ergo.

Respondeo esse universalia materialiter, scientiæ enim illæ sunt de naturis ipsis quæ universalitati substernuntur, non verò de ipsa universalitate cujus consideratio ad solam Logicam pertinet, ac subinde debet esse secunda intentio & ens rationis.

§. I.

Per quam operationem Natura fiat formaliter Universalis.

RELINQUITUR ergo Universale quoad formale, seu quoad unitatem & aptitudinem positivam ad existendum in multis, non esse à parte rei, sed solum per intellectum. Modò resolvendum est per quam illius operationem fiat: & est difficultas de tribus, nempe de abstractione intellectus agetis.

tis, de abstractione seu præcisiva cognitione intellectus possibilis, & de cognitione comparativa ejusdem. Quod ut intelligas.

Adverte hunc esse processum nostrarum cognitionum. Inprimis enim, cum nihil sit in intellectu quod prius non fuerit in sensu, necesse est ad hoc ut intellectus valeat aliquod objectum cognoscere, puta naturam humanam, quod prius speciem ejus acceperit mediis sensibus, ita ut primùm omnium necesse sit aliquod vel aliqua illius naturæ singularia objici sensibus externis, quibus species sui repræsentativas imprimant, v. g. quòd Petrus objiciatur oculo, & in eum sui similitudinem immittat, quæ dicitur species impressa, qua fœcundatus oculus visionem elicit circa hujusmodi objectum. Ex vi autem hujus visionis & speciei in oculo receptæ, aut illa mediante imprimit objectum aliam speciem sensui communi. & aliam deinde phantasiæ, quæ repræsentat adhuc objectum merè materiale. i. cum omnibus suis conditionibus individualibus & materialibus, V. G. Petrum ut affectum tali vel tali colore, & similibus, ideoque species illa in phantasia recepta est maximè materialis, & hac de causa non potest ad intellectum possibilem transmeare, aut aliam sibi similem in illo producere, utpote qui sit potentia spiritualis, subindéque incapax accidentis sensibilis & materialis, qualis est illa species.

Ne

Nę tamen intellectus Patibilis careret speciebus ad intellectionem omninò necessariis, sed illas posset à phantasia recipere, indidit nobis natura provida aliam facultatem, quæ dicitur intellectus Agens, qui ex phantasmatibus, seu ex speciebus in phantasia residentibus naturasque individuales repræsentantibus eliciat & abstrahat alias species spiritualiores repræsentantes solam naturam communem absque individuis & materialibus conditionibus, easque immittat & imprimat intellectui patibili, qui ideò talis appellatur, quia huiusmodi species recipit, (recipere enim, *ut ait Aristoteles*, est quoddam pati.) diciturque etiam possibilis, eò quòd possibiliter sit omnia beneficio illarum specierum; cùm enim sint formales similitudines rerum, seu res ipsæ in esse intelligibili, per receptionem earum dici potest fieri res ipsæ, ut etiam tradit Aristoteles dicens. *lib. 3. de anima. intellectum intelligendo fieri omnia:* Alter verò dicitur intellectus Agens, quia producit hujusmodi species in intellectu patibili. *Sed de his plura in libris de anima.*

Intellectus verò Possibilis specie illa repræsentante naturam communem fœcundatus potest dupliciter ferri in hujusmodi naturam: *primò directè cognoscendo eam secundùm sua prædicata essentialia, non cognoscendo singularia, sed ab ipsis præscindendo: secundò reflexè,*

quatenùs postquàm præscidit per unum actum naturam à suis inferioribus, per alium subsequentem cognoscit eandem in ordine ad illa inferiora ut aptam inesse ipsis & prædicari de eis. His positis.

Actio intellectus agentis, quâ producit & à phantasmatibus abstrahit speciem repræsentantem solam naturam, non repræsentatis, directè saltem, inferioribus, dicitur abstractio intellectus agentis, quia in esse repræsentativo separat & abstrahit naturam à singularibus. *Actio intellectus possibilis, qua per speciem illam in se receptam cognoscit naturam non cognitis inferioribus, appellatur cognitio præcisiva seu abstractio intellectus possibilis, quia scilicet separat in cognoscendo, & præscindit naturam ab inferioribus, quatenùs eam cognoscit non cognitis illis. Deniq; illa actio quâ idem intellectus naturam sic præcisam cognoscit rursum in ordine ad inferiora ut aptam inesse illis & prædicari de ipsis, dicitur cognitio reflexa & comparativa: reflexa quidem, quia versatur circa naturam iam cognitam & præcisam per actum præcedentem: comparativa verò, quia non attingit illam absolutè & secundùm se præcisè, sed respectivè & comparativè ad inferiora.*

Hæc autem comparatio dupliciter fieri potest: primò simpliciter apprehendendo naturam in ordine ad sua inferiora ut aptam prædicari de illis, non affirmando aut prædicando eam actualiter de

ipsis,

ipsis; & hæc appellatur comparatio simplex: secundò prædicando actu, & hæc dicitur comparatio composita. De his ergò actionibus procedit quæstio, per quam illarum natura fiat formaliter universalis. Pro resolutione.

Dico naturam non fieri universalem formaliter per abstractionem intellectus agentis, nec etiam per præcisionem intellectus possibilis, sed per comparationem duntaxat simplicem. Prima pars est contra Scotum, secunda contra Toletum & alios, tertia est communiter Thomistarum.

Probatur: per illam operationem natura fit formaliter universalis, per quam ipsi attribuitur unitas & aptitudo positiva ad essendum in multis, atqui nec per abstractionem intellectus agentis, nec per præcisionem intellectus possibilis, sed per solam cognitionem cōparativam attribuitur illi hujusmodi unitas & aptitudo positiva: ergo. *Maior est evidens ex dictis supra*, ubi ostendimus universalitatem consistere in unitate illa & aptitudine aut ordine positivo ad inferiora. *Minor verò probatur*: per illam operationem attribuitur naturæ unitas & habitudo positiva ad inferiora, per quam apprehenditur in illa, cùm enim non conveniat ipsi à parte rei, sed solùm per intellectum, ut suprà ostensum est, totum esse eius est apprehendi seu obiici intellectui: atqui non appre-

henditur in natura unitas hujusmodi & habitudo positiva ad inferiora, nisi per cognitionem comparativam: ergo per illam ipsi attribuitur, non per alias. *Probatur minor*: & primò de abstractione intellectus agentis res est nimis evidens, hujusmodi enim abstractio non est cognitio (cùm ipse intellectus agens non sit potentia cognoscitiva, *ut suppono ex dicendis lib. 3. de anima*) sed est aliqua alia actio ibi explicanda, qua speciem intelligibilem à phantasmatibus abstrahit; ergo per illam abstractionem non apprehendimus aut cognoscimus in natura unitatem illam & positivam habitudinem ad inferiora. De abstractione verò intellectus possibilis, facilè etiam probatur: quamvis enim per illam apprehendatur natura ut una, quatenùs per eam cognoscitur sine inferioribus aut differentiis ipsam dividentibus & multiplicantibus, non tamen ut una apta inesse multis, in qua unitate conjuncta cum hujusmodi positiva aptitudine aut ordine consistit formaliter universalitas: ergo per hujusmodi abstractionem non apprehenditur in natura unitas & aptitudo propria universalis. *Probatur antecedens*: per illam operationem non cognoscitur natura ut una positivè apta inesse multis, per quam cognoscitur sine illis: atqui per abstractionem intellectus possibilis cognoscitur natura sine inferioribus, ideò enim dicitur abstractio seu præcisio naturæ, quia est cogni-

cognitio ipsius præcisè non cognitis ejus inferioribus: ergo per illam non apprehenditur in natura unitas illa cum habitudine ad inferiora, sed solùm per cognitionem comparativam, quæ ideò talis dicitur quia per illam non cognoscitur natura absolutè, sicut per præcisivam, sed comparativè & per respectum ad inferiora, seu ut relata ad illa.

Confirmatur & explicatur: Universale est unum cum habitudine & ordine ad multa quibus inest aut inesse potest: ergo per illam actionem fit universale, per quam cognoscitur natura ut una, non quomodocunque, sed cum ordine illo ad multa: atqui illa est actio comparativa, ut constat ex ipsis terminis: ergo per illam solam fit universale. *Declaratur magis, & urgetur ratio:* Universale formalissimè dicit respectum seu relationem ad inferiora, ut constat ex ejus definitione: non relationem realem, cùm natura non distinguatur realiter à suis inferioribus, quæ esset conditio requisita ut realiter diceretur referri ad illa: erga rationis: atqui relatio rationis non fit nisi per cognitionem comparativam: ergo nec universale aut universalitas fit nisi per illam: non quidem per compositam, quæ est actualis prædicatio, subindeque supponit jam universale seu prædicabile factum; sed per simplicem, quæ comparat superius ad inferiora ut unum quid aptum inesse illis, ac de eis

prædicari, sicque facit prædicabile; comparatio verò composita seu actualis prædicatio facit prædicatum.

Pro Majori verò dictorum dicendorumque intelligentia, & objectionum solutione, diligenter distingue inter *Vniversale fundamentaliter*, quod est natura cui ab intellectu applicatur universalitas: & *Vniversale formaliter*, quod est eadem natura ut affecta illa universalitate: item inter *Vniversale fundamentaliter remote*, quod supra appellavimus *universale materialiter*, quod est ipsa natura à parte rei quatenùs est una unitate formali, seu non divisa formaliter aut essentialiter in suis inferioribus; & *Vniversale fundamentaliter proxime*; quod est eadem natura ut abstracta ab inferioribus, ipsi enim ut tali proximè & immediatè attribuitur aut applicatur universalitas: & istud solet appellari *universale metaphysicum*, eò quòd Metaphysicæ maximè & veluti per antonomasiam competat considerare rationes abstractas: universale verò formaliter dicitur *universale Logicum*, quia ad Logicæ considerationem per se spectat, cùm de formali sit relatio rationis & secunda intentio. *Hoc posito*.

Objicies. Tunc natura est universalis quando est denudata à conditionibus singularibus: atqui per abstractionem intellectus agentis aut possibilis denudatur ab illis ergo. *Probatur minor*: tunc natura est univer-

universalis per intellectum, quando in illo habet eas conditiones, cum quibus esset: universalis à parte rei si illas à parte rei haberet: atqui si à parte rei naturæ esset abstracta & separata ab individuis, ut fingebat Plato, hoc ipso esset universalis: ergo erit universalis per intellectum hoc ipso quod erit præcisa & abstracta per illum.

Respondeo negando majorem: ad probationem concessa majore, ad minorem respondendo, nego naturam fore universalem à parte rei hoc ipso præcise quòd esset separata realiter ab individuis, sed quòd sic separata haberet ordinem realem quo uniformiter respiceret illa: unde similiter ad *Consequentiam respondeo* non fore naturam universalem per intellectum hoc ipso præcisè quod per illum erit abstracta, sed quòd sic abstractæ communicabitur relatio rationis seu positivus ordo ad inferiora, quod non fit nisi per actum comparativum supervenientem.

Dices: quare natura realiter separata haberet hoc ipso ordinem realem ad inferiora, separata verò per intellectum non habet hoc ipso ordinem rationis ad illa, sed requiritur alia ratio comparativa? *Respondeo*, quia existens realiter separata esset ex sua natura participabilis ab inferioribus; separata verò per præcisionem intellectus non intelligitur hoc ipso ut participabilis positivè, sed

tantùm per cognitionem comparativam.

Instabis: hoc ipso quod est abstracta à singularibus non est singularis; ergo communis & indifferens ac participabilis ab inferioribus: ergo universalis.

Respondeo concesso antecedente distinguendo primum consequens: Ergo communis, indifferens, participabilis, *negativè*, concedo: *positivè*, nego. Et similiter distinguo secundum consequens, concedendo de universali negativè, non positivè, (*qua distinctio explicata est §. praced.*) vel etiam de universali fundamentaliter, non formaliter.

Vrgebis: quod non est formaliter singulare est formaliter universale: natura ut præcisa non est formaliter singularis: ergo. *Ad hoc negatur major*, datur enim medium ut diximus §. sup. nempe universale fundamentaliter tùm remotè (*de quo ibi sub nomine universalis materialiter*) tùm proximè qualis est natura præcisa.

Dices: posito fundamento proximo resultat relatio, ut patet de relationibus realibus, posita enim generatione, quæ est fundamentum paternitatis, resultat in homine generante paternitas: sed per actum præcisionis, ut nos volumus, natura sit proximum fundamentum relationis universalitatis: ergo per eundem resultat hujusmodi relatio.

Respondeo distinguendo majorem: Posito fundamento

damento proximo & simul termino, concedo: fundamento tantùm, nego. Quamtumvis enim poneretur generatio activa ex parte parentum, si non poneretur passiva seu entitas filii producta, nunquam resultaret relatio paternitatis. Per actionem verò præcisivam ponitur tantùm fundamentum proximum relationis universalis, non terminus. j. inferiora quæ per illam non attinguntur, sed solum per comparativam. *Vnde in forma distinguo minorem:* Ponitur fundamentum proximum, tantùm, cõcedo: fundamentum simul & terminus, nego: & nego pariter consequentiam.

§. 2.

Quotuplex sit Vniversale.

SERMO est semper de universali formaliter seu logico. *Pro resolutione.*

Dico, quinque esse universalia seu prædicabilia, scilicet Genus, Differentiam, Speciem, Proprium, & Accidens: nec plura nec pauciora.

Probatur: Universale est unum in multis: ergo tot erunt universalia, quot modis contingit unum esse in multis: sed quinque tantùm modis potest unum inesse multis: ergo tantùm quinque erunt universalia. *Antecedens & prima consequentia*

patent: minor autem subsumpta probatur: Quod inest multis, vel est in illis ut aliquid essentiale, vel ut aliquid accidentale: atqui tribus tantùm modis potest aliquid inesse multis ut quid essentiale, duobus verò ut quid accidentale: ergo. *Probatur minor:* Quod inest multis ut aliquid essentiale, vel inest eis ut pars essentiæ, vel ut tota & completa essentia: si ut pars, vel potentialis & contrahibilis, & sic constituitur genus, ut animal quod est pars hominis contrahibilis per rationale; vel actualis & perfectiva contrahensque partem potentialem, & sic constituitur differentia, ut rationale quod contrahit & perficit animal: si ut tota essentia ex parte illa potentiali & actuali coalita, sic constituitur species, ut Homo. Quod autem inest multis ut aliquid eis accidentale, vel inest necessariò, & convertitur cum essentia illorum, quamvis sit extra ipsam, & illud est proprium, ut risibile respectu hominis; vel ut aliquid merè contingens quod potest abesse & adesse, & istud est accidens quintum prædicabile, ut esse album respectu hominis vel parietis. Nullus vero est alius modus quo aliquid unum sit aptum inesse multis, quæ erat minor probanda.

Probari potest secundò conclusio eodem plane modo ex ratione prædicabilis, quæ est proprietas universalis, sic: Prædicabile est unum aptum prædicari de multis: ergo tot erunt prædicabilia quot modis poterit unum prædicari de

multis:

multis: atqui quinque tantùm modis potest unum prædicari de multis: ergo. *Probatur minor*: Quod prædicatur de multis vel prædicatur essentialiter vel accidentaliter: si essentialiter, tribus tantùm modis, nempe vel ut pars potentialis, vel ut pars actualis, vel ut tota essentia; si accidentaliter, duobus modis, vel necessariò & convertibiliter, vel mere contingenter: Ergo &c.

Ex quibus habes primò Universale ut sic priùs dividendum esse in essentiale & accidentale: postmodum essentiale subdividendum esse in genus, differentiam, & speciem: accidentale verò in proprium & accidens.

Habes secundò solutionem obiectionum quæ fieri possunt contra conclusionem.

Objicitur enim: Omne universale vel inest multis essentialiter, vel accidentaliter: ergo universale adæquatè dividitur in duas tantum species.

Ad quod respondendum est ex dictis concesso antecedente distinguendo consequens: Dividitur adæquatè in duas species subalternas, id est subdivisibiles in alias, *concedo*: infimas & atomas. *nego*. Universale enim essentiale subdividitur in genus, differentiam, & speciem: accidentale in proprium & accidens; subindéque quinque erunt species atomæ universalis ut sic.

Instabis: ex hac solutione sequitur fore

 multò

multò plura universalia, nam genus subdividitur in supremum, subalternum & infimum: differentia pariter in infimam & subalternam: & idem proportionaliter dicendum de cæteris, ut constat.

Respondeo negando illam sequelam, ad probationem respondeo illud esse verum de genere materialiter aut metaphysicè sumpto seu primo-intentionaliter pro gradu seu natura quæ subest genereitati; non verò de genere sumpto formaliter & logicè seu secundo. intentionaliter pro ipsa genereitate quasi gradui supremo subalterno, & infimo competat diversus modus essendi in multis aut prædicandi de illis. Genus enim supremum, subalternum, & infimum in eodem planè modo essendi aut prædicandi conveniunt, nempe per modum partis potentialis. Idem proportionaliter respondeo de differentia subalterna & infima, & de aliis.

Dices: sunt decem prædicamenta: ergo decem prædicabilia.

Respondeo negando consequentiam; aliunde enim sumitur numerus prædicabilium, *nempe ex diverso modo essendi in inferioribus,* ut ostensum est; aliunde prædicamentorum, *videlicet ex diverso modo essendi in prima substantia aut prædicandi de ea* ut latius explicabitur in Anteprædicamentis dum de prædicamentorum numero agemus.

§.3.Ve-

§. 3.

Vtrum Vniversale sit genus respectu Quinque Prædicabilium.

DICO *Vniversale esse Genus ad quinque prædicabilia, subindeq́; divisio Vniversalis in illa quinque membra est divisio generis in species.*

Probatur. Genus est quod prædicatur de pluribus specie differentibus,in quid,*ut infrà explicabimus* : sed universale prædicatur in quid de genere,differentia, specie, proprio, & accidente,tanquam de membris specie inter se differentibus.ergò universale est genus respectu illorum. *Probatur minor :* Inprimis, quod differant specie ab invicem in ratione universalis,*constat ex præcedenti §.* siquidem habent diversum modum essendi in multis & prædicãdi de illis,*ut ibi ostensum est :* quod autem universale prædicetur de illis in quid, etiam patet, inquirenti enim quid sit genus, rectè respondetur esse universale , & similiter de aliis: ergò.

Nec refert si dicas genus debere univocè & æqualiter cõvenire suis speciebus, universale autem non videtur æqualiter dici de illis quinque aut univocè ipsis competere, ergò non erit genus respectu illorum. *Probatur minor :*nam quod inest multis ut essentiale, perfectiori modo videtur esse universale

sale quàm illud quod inest & prædicatur ut quid accidentale: genus autem, differentia & species insunt & prædicantur ut quædam essentialia, proprium verò & accidẽs ut prædicata accidentalia: ergò tria priora erũt perfectiori modo universalia subindéq; ratio universalis nõ cõpetet illis omnib' æqualiter.

Non, inquam, *refert: universali enim ut sic in suo conceptu essentiali, nihil aliud importat nisi quod sit unum aptum inesse multis, abstrahendo à modo essendi essentiali vel accidentali*: atqui esse unum aptum inesse multis, æqualiter convenit iis quę essentialiter & quæ accidentaliter insunt: ergò ratio universalis æqualiter convenit suis inferioribus. *Probatur minor*: inæqualitas enim quę petitur ex parte differentiarum, non tollit ęqualitatem rationis genericæ, ut patet in animali quod æqualiter & univocè participatur à suis inferioribus, quamvis per differentias inæquales nempe rationale & irrationale, contrahatur ad illa: atqui tota inæqualitas in proposito petitur ex parte differentiarũ quæ sunt modi essendi essentialiter vel accidẽtaliter in multis: ergò per hoc non tollitur quominus ratio generica universalis, quæ nihil aliud importat quàm esse unum in multis, æqualiter participetur ab eo quod inest ut quid essentiale, & ab eo quod inest solùm accidentaliter.

Ex quibus in forma; *nego minorem: ad probatio-*

bationem distinguo majorem: Quod inest multis ut quid essentiale, est universale perfectiori modo, *perfectione se tenente ex parte rationis genericæ universalis ut sic, nego: ex parte differentiarum, concedo:* sed hæc major perfectio & inæqualitas non tollit univocationem, ut explicatum est: & eodem modo distinguendum est consequens, minore concessa.

Objicies. Si universale esset genus ad quinque prædicabilia, sequeretur speciem imò & individuum prædicari de suo genere etiam directè: consequens est falsum, neque enim dici potest in prædicatione directa, Animal est homo, aut, Animal est Petrus: ergo falsum etiam, est antecedens. *Sequela majoris probatur*: si enim universale sit genus respectu quinque prædicabilium, genus prædicabitur de illo, & verum erit dicere, Universale est genus, Universale est hoc genus: atqui genus ut sic est una species ex illis quinque; & hoc numero genus, seu potius hæc numero genereitas, quæ attribuitur universali dum ad illa quinque cõparatur, est unum individuum illius speciei distinctum numericè à genereitate quæ attribuitur animali, colori, aut alteri naturæ potentiali in ordine ad suas species: ergo species prædicabitur directè de suo genere, & similiter individuum.

Confirmatur amplius: Si Universale esset genus ad quinque, una species prædicaretur de alia ejusdem generis: consequens

quens est falsum, neque enim v. g. Leo quæ est una species animalis prædicari potest de homine, dicendo, Homo est leo, aut è contra: ergo. *Sequela majoris probatur*: si universale sit genus respectu quinque prædicabilium, generis, differentiæ, speciei &c. vera est hæc propositio, Genus est species universalis: atqui genus & species sunt duæ species universalis: ergo.

Ad objectionem distinguo majorem: Sequerentur speciem aut individuum *prædicari directè de suo genere prædicatione essentiali*, nego, *accidentali & denominativa*, concedo in secundis intentionibus, non in prædicatis realibus de quibus procedunt exempla illa in minori adducta. *Ad probationem majoris respondeo* propositiones aut prædicationes illas generis de universali esse tantùm accidentales: sicut enim accidit animali quod abstrahatur à suis speciebus & comparetur ad illas, sicque attribuatur ipsi secunda intentio generis; ita universali in ordine ad genus, differentiam, &c. Quare autem in secundis intentionibus species & individuum prædicari possint hoc modo. i. prædicatione directa de suo genere saltem accidentaliter, ratio est: quia pendent ab intellectu qui unã secundam intentionem potest superaddere alteri, subindeque eam prædicare de illa, v. gr. in proposito, concipiendo enim universale in ordine ad quinque prædicabilia, super-

superaddit ipsi secundam intentionem genereitatis, quæ est species ejus, & quidem hanc numero quæ est individuum : in realibus vero id non pendet ab intellectu.

Ad confirmationem distinguendum est eodem modo. Intellectus enim concipiens vicissim genus, differentiam, speciem, proprium, & accidens, in ordine ad universale, prout ei subjiciuntur tanquam suo generi, & singula de propriis inferioribus tanquam de individuis prædicantur (puta genus aut genereitas de hac & illa genereitate, & sic de aliis) attribuit singulis secundam intentionem speciei, quæ subinde de illis prædicatur prædicatione non essentiali sed accidentali, & hoc sensu verum est genus esse speciem, nempe universalis.

Ex his inferes solutionem aliarum objectionum, ut quod sequeretur idem contineri sub seipso, siquidem sub universali continetur genus, atque adeo si universale sit genus, universale continebitur sub universali : item quod definitio generis, quod est prima species universalis, conveniet ipsi universali, si verum sit universale esse genus, atque ita coincidet cũ hujusmodi prima specie, Quæ omnia & similia solvuntur cum distinctione allata, dicendo idem contineri posse sub seipso, non essentialiter sed accidentaliter in hujusmodi secundis intentionibus, & eodem modo definitionem generis seu primæ speciei

ciei universalis convenire ipsi universali: nec sequitur illa coincidere, quia universale ut sic solùm denominativè habet & accidentaliter quod sit prædicabile de multis specie differentibus, (quæ est definitio generis) ipsum vero genus id habet ex sua propria natura & essentia: quemadmodum paries denominativè tantum est albus & disgregativus visus: ipsa vero albedo, seu album reduplicativè ut album, id ex propria natura habet.





DISPUTATIO II.

De Universalibus in particulari.

Juxta leges methodi compositionis, postquam de ratione generica universalis egimus, convenienter singularum ejus specierum hic aggredimur tractationem.

SECTIO I.

Adducuntur singulorum Universalium seu prædicabilium definitiones.



Um genus, differentia, species, proprium, & accidens sint species universalis ut sic, propriæ ipsorum rationes & definitiones desumi debent ex additione propriæ cujusque differentiæ (quæ ut supra vidimus ex diverso modo essendi in multis petitur) ad rationem illam genericam universalis, quæ in eo consistit quod sit unum aptum inesse multis & prædicari de illis. *Atque ita Genus rectè defi-*

definitur: Vnum aptum inesse multis tanquam pars aut gradus potentialis, differentia tanquam pars actualis & perfectiva generis, species tanquam tota essentia ex genere & differentia coalescens, proprium tanquam accidens necessarium & cum rei essentia convertibile, accidens denique commune ut quid contingens quod potest abesse & adesse, quæ definitiones coincidunt cum istis sequentibus.

Genus est natura potentialis universalis, seu una apta inesse multis: & quia esse naturam potentialem seu contrahibilem per differentias essentiales est posse inesse multis specie differentibus, ideo etiam hæc definitio eadem est ac ista: *Genus est unum aptum inesse multis specie differentibus, ac prædicari de illis in quid incompletum:* dicitur prædicari *in quid*, quia & est de essentia, & enunciatur ad modum per se stantis, seu termino absoluto, quæ duæ conditiones sunt necessariæ ut aliquid dicatur prædicari in quid j. ad interrogationem factam per quid, ut si quæratur, quid sit homo, resp. Est animal, Additur *incompletum*, per quod differt genus à specie quæ prædicatur etiam in quid, sed complete i. tanquam tota essentia.

Differentia est pars actualis seu natura perfectiva, una apta inesse multis, ut rationale: & quia ex qua parte est essentialis rei, debet prædicari essentialiter, ex qua verò parte perficit & determinat, & ut ita loquar qualificat

lificat genus, *debet prædicari in quale*, *i. enunciari termino connotativo sive adjectivo*, ideò ista definitio coincidit cum hac: *Differentia est unum aptum inesse multis & prædicari de illis in quale essentiale*, *seu ut alii dicunt*, *in quale quid*: unde si postquam ad quæstionem quid sit homo, responsum est esse animal, quæratur rursum, quale animal sit; responderi debet esse rationale.

Species est natura completa, *prout una apta inesse multis.* Hoc autem ipso quod est completa & totalis essentia suorum inferiorum, non debent hujusmodi inferiora differre ab invicem differentia essentiali, (alias ipsa natura specifica non esset nisi pars essentiæ) sed singularitate duntaxat quæ est differentia solùm materialis & veluti accidentalis respectu naturæ specificæ; ideò rectè etiam definitur species quod sit *Unum aptum inesse multis solo numero seu singularitate differentibus & prædicari de illis in quid completum*: dicitur prædicari in quid, quod est ipsi commune cum genere: additur *completum* in quo differt ab illo.

Proprium verò definitur Accidens necessarium & cum rei essentia convertibile unum aptum inesse multis: Et quia hoc ipso quod est extra rei essentiam, & significatur termino connotativo, prædicatur accidentaliter & in quale, necessariò tamen

men ex qua parte habet necessariam cum essentia connexionem, ideò etiam rectè definitur. *Vnum aptum inesse multis & prædicari de illis in quale accidentale necessarium.*

Accidens denique commune, quod est quintum prædicabile definiri debet accidens contingens universale, sive unum aptum inesse multis & prædicari de illis in quale accidentale contingens: Ex qua enim parte est accidens & termino connotativo significatur, debet prædicari in quale accidentale, quatenus verò est accidens contingens. j, quod potest adesse & abesse, *dicitur prædicari contingenter*. Unde habes aliter differentiã prędicari in quale, aliter proprium & accidens: illa enim, quia est de essentia, prædicatur in quale essentiale: proprium verò & accidens, quia extra essentiam sunt, in quale accidentale.

Et hæ omnes definitiones, ut constat, explicant proprias rationes quinque prædicabilium in concreto sumptorum: si autem definire eadem velis in abstracto, sic dicendum erit.

Generëitas est universalitas naturæ potentialis, seu, unitas & aptitudo ejus ad essendum in multis; Differentialitas est universalitas naturæ actualis & perfectiva. Specieitas, natura cõpleta. i. ex genere & differentia constituta: Proprietaleitas, natura accidentalis necessaria & convertibilis cum essentia: Accidentaleitas denique naturæ merè contingentis.

In

In quibus definitionibus invertitur ordo, qui in prioribus servatus fuerat: dum enim prædicabilia in concreto definivimus, loco generis proprium statuimus subjectum cujusque universalitatis, loco verò differentiæ ipsammet universalitatem ut sic, & utrumq; in recto; è contra verò definiendo ipsa in abstracto, loco generis statuimus universalitatem ut sic in recto, in obliquo verò propriũ subjectum cujusque universalitatis, putà naturam potentialem in definitione generis, quia illa est subjectum proprium cui genereitas applicatur: & sic de cæteris.

Qua etiam ratione & cum eodem discrimine definiuntur accidentia realia in concreto & in abstracto. Si enim in concreto definiantur, loco generis statui debet proprium subjectum accidentis quod definitur, loco vero differentiæ, gradus superior illius, qui est communis ipsi & aliis ejusdem generis accidentibus, utrumque vero poni debet in recto: ut patet in exemplo illo ab Aristotele & D. Thoma sæpius usurpato: Simum est nasus curvus: nasus enim est proprium subjectum simitatis, curvitas autem est gradus superior ad simitatem, gibbositatem, clauditatem & ad alias rerum curvitates. Si autem definiendum sit accidens in abstracto, debet è converso poni gradus superior in recto, & proprium subjectum in obliquo: dicendo, v. g. Simitas est curvitas

tas nasi. Quæ omnia intelligenda sunt, quãdo proprium accidentis subjectum nobis innotescit, si enim illud ignoremus, definiendum erit aut potius describendum per effectus nobis notiores, aut quid simile.

Ratio autem hujus diversitatis definiendi accidentia tam realia quàm rationis, in concreto aut abstracto est, quia concretum convenit in subjecto cum aliis pluribus ejusdem subjecti accidentibus & differt in forma: abstractum è contra convenit in forma cum aliis ejusdem generis abstractis & differt per subjectum aut per habitudinem ad illud, ut in iisdem exemplis cerni potest. Vide sect. seq. sub finem.

SECTIO II.

De Genere & Differentia.

DE his duobus Prædicabilibus simul agimus, quia cùm sint gradus Metaphysici ex quibus natura totalis & specifica constituitur, specialem habent inter se connexionem, ratione cujus præcipuæ, quæ hic agitandæ sunt difficultates, sunt utrique communes.

§. I.

§. I.

Unde sumantur Genus & Differentia, tàm in substantiis quàm in accidentibus.

PROCEDIT difficultas de genere & differentia metaphysicè aut primo intentionaliter sumptis. j. de gradibus metaphysicis animalis, v, g. & rationalis, quibus, per intellectum applicantur secundæ intentiones logicales genereitatis & differentialitatis. *Pro Resolutione.*

Dico I. *in substantiis corporeis gradum genericum & differentialem sumi, ut à principio seu fundamento proximo, à tota rei essentia seu compositi entitate diversimodè spectata; gradum quidem genericum ab ea secundùm quod consideratur ut indeterminata, potentialis, perfectibilis seu contrahibilis & determinabilis; gradum verò differentialem ab eadem secundùm quod habet rationem determinativæ, actuativæ & perfectivæ.*

Probatur & explicatur. Ab eo dicuntur proximè desumi isti gradus, quod præbet immediatè fundamentum præscindendi aut distinguendi ipsos in eadem essentia aut composito: sed ipsamet tota rei entitas considerata ùt indeterminata, ut potentialis, & perfectibilis, præbet immediatè fundamentum gradus generici; ut perfectiva verò aut determinata,

gradus differentialis: ergo ab eadem sic diversimodè spectata desumuntur proximè illi gradus. *Probatur minor & declaratur ex dictis superiori disput. sect. 1. §. un.* Eadem enim entitas Petri, v.g. considerata ut principium & radix subsistendi fundat immediatè gradum genericum & supremum substantiæ communem angelis: ut radix quantitatis seu extensionis corporeæ gradum corporis communem lapidibus; ut radix vitæ vegetativæ, gradum viventis communem plantis; ut radix vitæ sensitivæ, gradum animalis communem brutis; ut radix aut principium discurrendi, gradum rationalis: constat autem hujusmodi entitatem sub prioribus rationibus considerari ut indeterminatam potentialem, & perfectibilem, sub posterioribus ut determinativam, actuativam & perfectivam præcedentium, item gradus priores esse genericos, posteriores differentiales respectu illorum: ergo illos fundat in quantum indeterminata, hos in quantum determinativa, &c. Quæ omnia idem significant ac si dicamus gradum genericum esse totam rei aut compositi entitatem secundum rationem communem, gradum verò differentialem esse eandem secundum rationem propriam & specialem.

Eadem doctrina proportionaliter applicanda est substantiis spiritualibus, ita ut in illis gradus genericus desumatur à tota simplicive rei entitate ut communi & contrahibili, differentialis

tialis verò ab eadem ut determinativa sui ipsius sub priori ratione spectatæ. Atque ita in Gabriele v.g. gradus genericus substantiæ erat tota & simplex eius entitas considerata secundum rationem subsistendi communem ipsi cum rebus corporeis: gradus spiritus, eadem spectata secundum rationem immaterialitatis & spiritualitatis communis omnibus Angelis: gradus talis spiritus ipsa eadem secundum rationem tantæ, vel tantæ spiritualitatis & perfectionis ipsi speciei Gabrielis propriæ, sub qua postrema ratione entitas illa est determinativa & contractiva sui ipsius sub priori spectatæ; & sub illa, primæ.

Idem de accidentibus suo modo dicendum est: in albedine enim, v.g. ubi distinguimus gradum qualitatis, gradum coloris, & gradum albedinis, gradus ille supremus qualitatis nihil aliud est quàm ipsa albedinis entitas secundum quod est potentialis, & convenit cum aliis, putà cum calore, sapore, odore, & similibus, in constituendo subjectum quale: gradus coloris, eadem secundum quod ab illis differt & cum nigredine, v.g. rubore & aliis convenit in constituendo coloratum: & gradus albedinis, secundum id quod habet peculiare, nempe constituere album, sub qua ratione est determinativa suimet sub priori ratione consideratæ.

Eadem doctrina verificari etiam potest de accidente inconcreto: ita ut in albo esse quale, in

quo cōvenit cum calido v.g. sapido & aliis; esse coloratum, in quo differt ab eis, & convenit cum nigro, & similibus; esse albū, quod est ipsi proprium & peculiare; sic fit una & eadem entitas concreta ex subjecto & forma albedinis vel ut qualitas est, vel ut color, vel ut albedo reduplicativè: sub qua ultima ratione, id est, in quantùm entitas concreta ex subjecto & forma illa ut albedo est, determinat seipsam ut concretam ex eodem subjecto & eadem forma prout est color ut sic: sicut sub hàc ratione est determinativa sui ipsius, ut constitutæ ex illa forma, prout est qualitas absolutè.

Dico 2. In substantiis corporeis genus sumitur à materia, & differentia à forma tanquam à principiis radicalibus. Sensus est quòd quamvis genus non importet solam materiam, nec differentia solam formam, sed utrumque totam compositi entitatem diversimodè consideratam, & ab ea sumantur tanquam à proximo & adæquato principio aut fundamento, ut ostensum est: prima tamen radix & fundamentum remotum hujusmodi graduum sint materia & forma.

Et Ratio est, quia primum in unoquoque genere est radix & causa cæterorum eiusdem generis: materia autem est prima in genere potentialitatis, cùm sit pura potentia; & similiter forma substantialis in genere actualitatis, cùm sit primus actus, ut dicitur in physica:

physica: ergo illa est radix omnium graduū potentialium compositi in quo est, hæc verò actualium: sed gradus generici sunt potentiales, differentiales verò sunt actuales: ergo.

Explicatur magis: Gradus genericus est tota entitas rei in quantùm potentialis & contrahibilis; gradus verò differentialis est eadē ut actualis & contracta: ergo id unde habet res ut sit potentialis erit prima radix gradus generici; id verò ex quo provenit quòd sit actuata, erit prima radix gradus differentialis: atqui habet ex materia quòd sit potentialis, ex forma verò quòd sit actuata perfecta & cōtracta: ergo. *Probatur minor*: Entitas enim totius compositi consideratur ut magis vel minùs potentialis secundùm quod magis vel minùs accedit ad potentialitatem materiæ, & recedit aut abstrahit ab actualitate formæ; gradus enim genericus substantiæ, e. g. qui est omnium potentialissimus, est compositum ex materia & forma tribuente tantùm esse substantiale; gradus corporis, ex eadem ut tribuente esse corporeum, præscindendo ab ulterioribus gradibus, & sic de aliis: è contra verò gradus differentialis est idem compositum secundùm quod magis accedit ad ultimam actualitatem formæ, v.g. rationale importat totum coalescens ex materia & forma ut tribuente ultimam perfectionem, & actualitatem essentialem.

Hæc verò doctrina de principio radicali

generis & differentiæ, non habet locum in substantiis spiritualibus, ut constat, cùm non habeant materiam & formam. Habet tamen quodammodo locum in accidentibus, quatenus ex majori vel minori accessu ad potentialitatem subjecti, quod est materia accidẽtis, vel ad actualitatem ipsius formæ accidẽtalis entitas ejus consideratur ut magis vel minus potentialis aut actualis: entitas enim albi aut albedinis, v.g. consideratur ut potentialissima secundum quod habet aut tribuit solùm esse quale, quod est propè accedere ad potentialitatem subjecti, & habere aut tribuere minimum de actualitate formæ: intelligitur verò actualissima, secundum quod habet aut tribuit esse album, quæ est tota actualitas essentialis illius formæ.

Obiicies: gradus genericus & individualis non possunt desumi ex eadem radice, cùm sint oppositi: sed gradus individualis sumitur à materia tanquam à prima radice, *ut videbimus in Metaphysica dum de principio unitatis individualis agemus*: ergo non gradus genericus.

Respondeo non desumi ex eadem radice: quia gradus genericus sumitur à materia secundum se spectata, individualis verò ab illa ut signata quantitate, sicut loco citato explicabimus.

Objicies 2. Accidens sumit suam differentiam à subjecto, cùm ex dictis sect. superiori de-

ri definiatur, saltem in abstracto per ordinem ad illud: ergo non desumit ab eo gradum genericum, ut hic dicimus.

Respondeo utrumque esse verum, & quod desumat gradum genericum, & quod desumat gradum differentialem à subjecto: genericum à subjecto ut sic, differentialem à subjecto ut proprio, quatenùs propria ratio & actualitas formæ sumitur per ordinem ad illud.

§. 3.

Vtrùm genus & differentia prædicentur ut partes vel ut tota.

SUPPONO 1. *quòd suprà Disp. præced. sect. 1. ostendimus, gradum genericum & differentialem non distingui à se invicem ante omnem mentis operationem, sed sola ratione ratiocinatâ.*

Suppono 2. huiusmodi gradus posse dupliciter sumi: primò ut partes; secundò ut tota quadam potentialia. Tunc sumuntur ut partes, quando considerantur ut componentes speciem, puta animal & rationale hominem, componentes inquam, non compositione reali, quæ est realiter distinctorum unio, sed rationis, sicut partes illæ ratione tantum distinguuntur, qua de causa appellatur etiam compositio logica, nonnunquam etiam metaphysica, ea scilicet ratione qua gradus illi sic per intellectum distincti aut præcisi solent appellari

gradus metaphysici, *ut aliàs diximus.* Quia verò de ratione partium, quà talium est sese mutuo excludere, ideò gradus illos sumi ut partes est sumi ut sese mutuò excludentes, seu cum omnimoda præcisione unius ab altero: v.g. animal sumitur ut pars, quatenus consideratur ut principium sentiendi tantũ, & rationale quatenus consideratur ut principium ratiocinandi præcisè, excludendo alias perfectiones, quamvis à parte rei & materialiter sint eadem entitas totius. *Sumuntur verò ut tota potentialia, quatenus significant naturas superiores abstractas ab inferioribus & per illas contrahibiles* ita ut animal, v.g. accipiatur ut totum potentiale, non quatenus significat principium sentiendi præcisè, excludendo principium ratiocinandi (sicut quando accipitur ut pars) sed prout significat ipsum habens principium sentiendi seu naturam sensitivam, quod habens ut sic est determinabile & contrahibile per hominem & brutum; subindeque licet abstractione universali, quæ est superioris ab inferioribus vel ab inferiorum differentiis, præscindat à rationali & irrationali, non tamen abstractione formali quæ est partis à comparte, nec cõsequenter excludit illa, sed in potentia continet, & est contrahibile per illa. Similiter rationale consideratur ut totum potentiale, non in quantum significat principium ratiocinandi excludendo principium sentiendi,

sed

sed prout significat habens principium ratiocinandi, sub qua consideratione non excludit animal, sed in potentia & confusè illud importat, sicut & alia omnia quæ reperiũtur ex parte subjecti, cui attribuitur. *His positis.*

Dico Genus non prædicari de speciebus, nec differentiam de suis inferioribus, in quantùm partes, sed ut tota potentialia.

Probatur. Ad prædicationem formalem, de qua est quæstio, requiritur quòd prædicatũ contineat in potentia totum, quod subjectũ continet actu: atqui genus sumptum ut pars non continet in potentia totum id quod actu includitur in specie, non enim ut tale cõtinet differentiam quam potiùs excludit, sicut pars compartem: Similiter differentia sumpta ut pars non continet in potentia genus quod in eius inferioribus actu includitur: ergo genus & differentia non prædicantur ut partes, sed ut tota potentialia. *Minor constat ex secundo notabili. Major verò supponitur ex dicendis disput. sequenti de prædicatione formali, & facilè interim suadetur:* ut enim hoc dicatur esse illud, v.g. homo dicatur esse rationalis, necesse est quòd sint idem: non actu, ita ut rationale importet actu totum id quod homo actu importat, aliàs esset prædicatio identica: ergo in potentia & confusè, id est, quod prædicatum confusè & in potentia importet totum quod subjectum actu & distinctè seu explicitè includit.

Obiicies 1. Genus & differentia in hoc secernuntur à specie, quod hæc prædicatur ut tota essentia, illa verò ut partes: ergo falsa conclusio.

Respondeo secerni in hoc quòd illa prædicentur ut partes & incompletè ex parte rei quam significant, species verò ut essentia totalis ex illis constituta: cum quo tamen stat ut ex parte modi prædicandi enunciari debeant ut totá potentialia, quod est commune omnibus universalibus, ut amplius constabit loco superius citato.

Obiicies 2. Animal consideratum ut pars potentialis importat & continet in potentia species & earum differentias: ergo poterit prædicari, si non ut pars actualis, saltem ut pars potentialis.

Respondeo negando antecedens, animal enim ut pars potentialis idẽ est, ac ut pars non actu sed aptitudine componens unà cum rationali hominem, sub qua proinde ratione etiam excludit rationale tanquam compartem.

§. 3.

Vtrùm genus includat actu differentias, & vicissim differentia genus.

D*ICO genus non continere actu & formaliter differentias sui divisivas, sed tantùm in potentia.*

Præ-

Probatur primò ex dictis: quia animal, v.g. importat actu solum gradum sentiendi: sed in conceptu gradus sentiendi non includitur actu gradus ratiocinandi, qui est differentia inferior; ergo genus non includit actu differentias inferiores. *Minor patet*, alias quidquid participaret gradum sentiendi, includeret etiam gradum ratiocinandi: ex quo.

Probatur 2. Genus non continet actu & formaliter nisi quod est de ejus essentia: sed rationale & irrationale, quæ sunt differentiæ divisivæ animalis, non sunt de ejus essentia, alias homo qui est animal, esset simul rationalis & irrationalis.

Dico 2. *E converso etiam differentiæ illæ non includunt actu genus, nec differentiam superiorem aut subalternam: putà rationale non includit animal aut sensibile.*

Probatur 1. Quia rationale de formali dicit tantum naturam ut est principium ratiocinandi præcisè, sicut animal importat actu eandem ut est principium sentiendi. atqui principium ratiocinandi ut tale non est nec dici potest formaliter principium sentiendi: ergo rationale non importat formaliter animal.

Probatur 2. Quia si rationale & irrationale includerent actu & formaliter animal aut sensibile, jam non essent differentiæ primò diversæ, siquidem convenirent in aliquo univocè, nempè in ratione animalis & sensibilis,

bilis, primò autem diversa dicuntur illa quæ in nullo univocè conveniunt: consequens verò est falsum: ergo & illud unde sequitur. *Probatur minor*: differentiæ enim, juxta omnes philosophos primò diversæ esse debent, nam si in aliquo convenirent, deberent differre ab invicem per alias differentias, & hæ per alias rursum, & sic in infinitū. Ex quibus.

Dico 3. nec genus de differentiis, nec differentias de genere prædicari formaliter.

Probatur: quia ad prædicationem formalem requiritur, quòd subjectum includat actu prædicatum, istud vero in potentia subjectum, atqui nec genus includit actu differentias, nec differentiæ genus, ut probatum est: ergo differentiæ nequeunt formaliter prædicari de genere, nec è converso genus de differentiis.

§. 4.

Utrùm genus salvari possit in unica specie.

PROCEDIT etiam hæc quæstio, sicut & præcedentes de genere non logicè sumpto prout definitur: Id quod de pluribus speciebus, aut de rebus specie differentibus prædicatur, sic enim evidens est requirere plures species quæ dentur actu vel dari possint, ut de eis enunciari valeat: sed de eodem meta-

physicè

physicè accepto, prout est gradus potentialis contrahibilis & perfectibilis per differentias inferiores: *Quaritur ergo, an sub hac ratione intelligatur perfectè salvari, seu habere totam suam perfectionem, quam essentialiter postulat in unica specie, vel solùm in pluribus.* Pro resolutione.

Dico Genus metaphysicè sumptum non posse salvari in unica specie.

Probatur: quia genus metaphysicè sumptum est totum potentiale, seu gradus essentialiter determinabilis & perfectibilis per differentias inferiores: ergo non intelligitur perfectè salvari & satiari nisi perficiatur per illas omnes differentias: atqui animal, v. g. non perficitur in una specie nisi per unam differentiam, putà per rationale in homine: ergo in unica specie non perfectè salvatur seu non habet totam perfectionem essentialem, cuius est capax.

Confirmatur: potentia non satiatur perfectè nisi per actum adæquatum: sed genus est potentia respectu omnium differentiarum, per quas contrahibile est tanquam per actum adæquatum: ergo non satiatur nisi per omnes differentias, subindeque non per unam tantùm. *Explicatur magis*: sicut enim materia prima est pura potentia physica respectu formarum, ita genus est potentia logica respectu differentiarum: ergo sicut materia prima (loquendo de sublunari) non satiatur per unā

formam, ita nec genus per unam differentiā.

Obiicies. In homine, e.g. reperitur & salvatur tota & perfecta ratio animalis, etiamsi non essent aliæ species animalis, sicut reipsa non erunt post diem judicii: ergo salvatur gradus metaphysicus generis in una specie.

Respondeo salvari totam rationem gradus generici physicè spectati secundùm suam materialem entitatem, quatenus est vivens sensitivum, e.g. imò & metaphysicè si consideretur in ratione partis unà cum differentia speciem constituentis; non autem si spectetur ut est totum potentiale, & gradus metaphysicus essentialiter determinabilis per differentias inferiores, ut enim hoc modo salvetur, debent dari illæ differentiæ, subindéque plures species.

§. 5.

Quid & quotuplex sit Differentia.

DICO I. *Differentia metaphysicè aut primò intentionaliter sumpta est gradus actualis determinans genus, faciensque differre ea quæ genere conveniunt: logicè verò & secundo intentionaliter accepta est idem gradus seu natura actualis prout intelligitur apta inesse multis & prædicari de illis, seu quod in idem redit, est id quod prædicatur de multis in quale essentiale.* Tota hæc conclusio explicata manet ex dictis sect. 1.

Dico

Dico 1. Differentia alia est Communis, alia Propria, alia Propriissima: hæc tamen divisio non est generis in species, sed analogi in analogata.

Explicatur prima pars conclusionis: differentia communis nihil aliud est quam accidens aliquod commune, quatenùs facit unũ ab alio contingenter differre, ut albedo quæ distinguit hominem Gallum ab Æthiope: differentia propria est accidens proprium, quatenùs facit accidentaliter necessariò differre illud cui convenit ab aliis, ut risibile: differentia denique propriissima est differentia essentialis & specifica, qua species ab invicem essentialiter distinguuntur, ut rationale. Ex quibus

Probatur secunda pars conclusionis. Omne genus participatur æqualiter à suis speciebus: sed differentia ut sic non participatur æqualiter à differentia communi, propria, & maximè propria: ergo non est genus ad illas, subindéque præfata divisio non erit generis in species. *Probatur minor:* Quod participatur ab uno secundùm quid, & ab alio simpliciter: non participatur ex æquo ab illis: atqui propria ratio differentię participatur simpliciter à solá differentia maximè propria, ab aliis verò duabus secundum quid: ergo. *Probatur minor:* propria & essentialis ratio differentiæ ut sic est facere differre ea quæ genere conveniunt: atqui sola differentia maximè

ximè propria facit simpliciter differre, aliæ verò duæ secundùm quid; etenim illa facit differre essentialiter, hæ autem tantùm accidentaliter: ergo:

Maneat igitur illam divisionem non esse univoci in univocata, aut generis in species, sed analogi in analogata: differentia enim analogicè dicitur de communi, propria, & maxime propria, qua analogia & similitudo consistit in hoc, quod sicut differentia propriissima seu specifica facit differre essentialiter, ita alia dua accidentaliter.

Obiicies. Universale in communi dicitur univocè de quinque prædicabilibus, sicut genus de suis speciebus: ergo etiam differentia ut sic de differentia, communi, propria, & maximè propria. *Probatur consequentia*: si enim aliquid obstaret, maxime quia differentia propria & communis faciunt differre tantùm accidentaliter, propriissima verò essentialiter: atqui hoc non impedit quo minùs differentia ut sic dicatur univocè de illis: ergo. *Probatur minor*: Genus & species prædicantur essentialiter de suis inferioribus, proprium verò & accidens solùm accidentaliter, & nihilominùs universale ut sic dicitur univoce de illis: ergo similiter etiamsi differentia propriissima faciat essentialiter differre, aliæ verò solùm accidentaliter, poterit tamen differentia ut sic dici de illis univoce.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam:

sequentiam : ad probationem nego minorem : ad cuius item probationem concedo antecedens, & nego consequentiam & paritatem. Ratio Disparitatis est, quia de conceptu essentiali universalis ut sic est solùm, quod sit unum aptum inesse multis & prædicari de illis, non autem quòd prædicetur essentialiter, sed ab hoc abstrahit, unde tota ratio eius salvatur in proprio & accidente, etiamsi accidentaliter solùm prædicentur: at verò de ratione differentiæ, quæ est secundum prædicabile, est quod faciat simpliciter, ac proinde essentialiter differre ea quę genere conveniunt, quod non salvatur in differentia communi & propria, sed solum in differentia propriissima.

Ex his ergo habes solam differentiam propriissimam constituere hoc secundũ prædicabile, quia hæc sola facit differre, simpliciter loquendo, eique conveniunt definitiones conclusione prima allata, non verò differentiæ communi & propriæ.

§. 6.

Per ordinem ad quæ inferiora differentia constituatur universalis.

DIco *differentiam subalternam constitui universalem per ordinem ad species inferiores, puta sensibile per respectum ad hominem, leonem, & hujusmodi; infimam verò per ordinem ad individua.*

Probatur. Quælibet natura constituitur univer-

universalis per ordinem ad sua inferiora: atqui sensibile, v.g. comparatur ad hominem, leonem, & alias species, item rationale ad Petrum, Paulum, & alia individua tanquam ad sua inferiora: ergo sensibile constituitur universale per respectum ad hujusmodi species, & rationale per ordinem ad individua.

Ex quo refutata manet quorundam opinio asserentium differentiam subalternam constitui universalem per ordinem ad genus, aut speciem subalternam, quam constituit, putà sensibile per ordinem ad animal; & differentiam infimam per comparationem ad speciẽ atomam: *hoc enim apertè falsum est*, quia differentia subalterna & infima non habent rationem superioris respectu speciei subalternæ & infimæ, sed æqualis, siquidem convertuntur cum illis.

Obiicies: Hæ prædicationes, Animal est sensitivum, Homo est rationalis, sunt formales: ergo alicuius prædicabilis: non alterius quàm differentiæ: ergo differentia est prædicabilis, subindéque universalis per ordinem ad speciem subalternam aut infimam respective.

Respondeo huiusmodi prædicationes esse secundi prædicabilis seu differentiæ, reductive, non directè, unde nihil sequitur contra nos. Nec verò omnis prædicatio formalis unius de alio pertinet directè ad aliquod prædicabile, sed plurimæ reductivè solùm, ut patet in

præ-

prædicatione entis de suis inferioribus, quæ reducitur ad genus; in ea quâ anima rationalis enunciatur de hac & illa, quæ reducitur ad speciem: & sic de aliis proportionaliter.

SECTIO III.

De Specie.

DVOBUS modis potest considerari *species: primò per respectum ad genus cui subiicitur: secundò per ordinem ad individua de quibus prædicatur.* Priori modo definitur. *Id quod immediate subiicitur generi.* & dicitur *immediate* ad differentiam individuorum quæ non nisi mediante specie generi subiiciuntur. Posteriori autem modo sumpta definitur. *Id quod prædicatur de multis solo numero differentibus in quid.* Prima definitio competit speciei etiam subalternæ: non vero secunda: utraque vero convenit speciei atomæ. Sed circa hoc oritur prima difficultas, de qua sit.

§. I.

Vtrùm species quà subiicibilis sit prædicabilis & universalis.

SENSUS *est utrũ gradus specificus v. g. natura humana, qui media intellectus operatione sortiri potest ambos illos respectus, subiicibilitatis in ordine ad suũ genus: & prædicabilitatis in ordine ad*

ad individua hoc ipso & ex vi eiusdem actus intelligatur habere hunc secundum respectum, ex quo habet primum: seu hoc ipso intelligatur esse formaliter universalis & prædicabilis de suis inferioribus, quod intelligitur subiici generi, puta animali: *Quo sensu respondendo ad quæsitum.*

Dico, Speciem qua subiicibilem non esse hoc ipso formaliter universalem, sed tantùm fundamentaliter.

Probatur. Natura non est universalis formaliter nisi quatenus comparatur ad sua inferiora & concipitur ut una apta inesse illis ac prædicari de eis: atqui hoc ipso quod subjicitur generi, non continuò & per eundem actum comparatur ad sua inferiora: ergo. *Probatur minor:* potest enim considerari species in ordine ad suum genus eique subjici, aut genus de illa prædicari, nullatenus cogitando de inferioribus ipsius speciei, ut constat: ergo non hoc ipso & ex vi ejusdem actus subiicitur generi & ad inferiora comparatur.

Objicies 1. Quod subiicitur immediatè generi, est universale, singularia enim tantum mediate ipsi subiiciuntur: atqui species qua subiicibilis est id, quod immediate subiicitur generi: ergo est hoc ipso universalis.

Respondeo majorem & consequentiam esse veras, de universali fundamentaliter seu metaphysicè, non formaliter. i. hoc ipso est quid abstractum

ctum à singularibus, sed non continuo comparatum ad illa: & hoc est quod asserit conclusio.

Objicies 2. Sub ea ratione aliquid est universale, qua universale ut sic prædicatur de illo: atqui universale prædicatur de specie ut subiicibili: ergo species ut subiicibilis est universalis. *Probatur minor*: Universale ut sic prædicatur de genere, differentia, specie, proprio, & accidente, tanquam genus de speciebus quæ ipsi ut tali subiiciuntur: ergo prædicatur de qualibet illarum ut subiicibili.

Respondeo negando minorem & consequentiã de specie sumpta pro ipsa natura specifica seu gradu metaphysico qui substernitur secundæ intentioni specieitatis, quo sensu procedit quæsitum: *esto* de specie sumpta pro ipsamet secunda intentione hujus tertii prædicabilis, de qua non est quæstio, & de ea solum procedit minoris probatio. Dixi, *Esto*, quia etiam hoc posteriori modo accepta species, licet sit universalis hoc ipso quod subiicitur suo generi seu universali ut sic, non tamen ex eo formaliter quod ipsi subiiciatur aut quod universale de ea prædicetur, sed potius præsuppositive, beneficio scilicet alterius præcedentis actus: sicut homo non habet rationem animalis ex eo formaliter quod subiicitur ipsi animal in propositione, sed præsupponitur eam habere.

Vtrùm

§. 2.

Vtrum species salvetur in unico individuo.

QVOD supra de genere determinavimus, id nunc de specie resolvẽdum est, nùm scilicet quemadmodum illud in una specie salvari nequit, sic nec species in unico individuo: sumendo speciem sicut sumebamus genus, nempe metaphysicè pro ipso gradu seu natura quæ subest secundæ intentioni universalitatis: nam utrùm species logicè accepta, prout est formaliter universalis, salvari queat in uno individuo, dicetur paragr. seq. *Pro resolutione ergò propositæ difficultatis.*

Dico, quòd quamvis genus non salvetur in unica specie secundùm totam suam perfectionem quam essentialiter exposcit; species tamen perfecte salvatur in unico individuo.

Probatur ex discrimine inter genus & speciẽ: ideo enim genus metaphysicè sumptum non intelligitur perfectè salvari aut totam suam perfectionem habere in una specie, ut loco citato vidimus, quia est totum quoddam potentiale perfectibile essentialiter per differentias divisivas quas sortiri non potest, nisi in pluribus & diversis speciebus: atqui è contrà natura specifica, puta humana, est totum actuale non perfectibile essentialiter per differentias

ferentias individuales, sed tantùm materialiter divisibile per illas: ergo salvatur secundùm totam suam perfectionem in unico individuo.

Confirmatur conclusio. & simul probatur minor præcedentis syllogismi: neque enim Petreitas. Pauleitas, & similes differentiæ individuales aliquam essentialem perfectionem addunt naturæ humanæ, aliàs diversificarent eam essentialiter; sed addunt tantùm hæcceitatem quæ est differentia tantùm materialis & veluti accidentalis, cum desumatur à materia, ut connotante quantitatem hanc numero.

Obiicies. Gradus specificus est totum potentiale respectu individuorum, & contrahibile per individuales differentias, sicut genericus per specificas: ergo sicut gradus genericus non intelligitur perfectè salvari in una specie, ita nec specificus in unico individuo.

Respondeo negando paritatem, & in antecedente, & in consequente: gradus enim specificus est potentialis & contrahibilis *logicè tantùm*, quatenùs est indifferens & potest prædicari de hoc & illo individuo; *non autem metaphysice*, quasi essentialiter perficiatur per differentias individuales, sicut gradus genericus per specificas, sed solùm materialiter & veluti accidentaliter dividitur per eas, *ut dictum est.*

§. 3. *Vtrùm*

§. 3.

Vtrùm Species unicum habens individuum subeat intentionem Vniversalis?

NOTA naturarum specificarum alias esse, quæ actu habent plura individua quales sunt Homo, Leo, & similes: alias quæ unicum duntaxat: sed rursus hæ sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt quæ unicum quidem actu habent individuum, sed plura aptitudine, ut Sol, Phœnix, & hujusmodi; aliæ quæ unicum tam actu quàm aptitudine, qualis est, juxta Divi Thomæ doctrinam, quælibet species Angelica, puta Michaelis, Gabrielis, & aliorum: docet enim *Præceptor Angelicus* 1.*p.q.* 50. *a.* 4. omnes Angelos differre inter se specie, & unumquemque ita suam speciem implere, ut repugnet intra eandem esse plures numero distinctos, eo scilicet quod careant materia, quę sola, juxta doctrinam ejusdem Angelici Doctoris potest esse principium naturam specificam materialiter & numericè multiplicans. Hoc posito.

Certum est nedùm naturas specificas, quæ actu habent plura induidua à parte rei, sed etiam eas quæ unicum de facto habent, plura tamen aptitudine, posse subire secundam intentionem universalis, huiusque tertii prædicabilis, cum de ratione

cione ejus non sit esse actu in multis, sed solum aptitudine.

Difficultas solum est de aliis quæ tam actu quam aptitudine unicum duntaxat habent, ita ut à parte rei repugnet ipsis habere plura. Pro resolutione.

Dico naturam specificam, quæ secundùm se unicum tam actu quam potentia individuum habet (qualis est ut suppoſui ex Divo Thoma natura specifica cujuslibet Angeli) *posse etiam subire secundam intentionem universalis & speciei prædicabilis ex modo nostro concipiendi. Quod est hujusmodi naturam esse universalem secundum rationem tantum.* Potest enim universale distingui in illud quod est tale secundùm rem & rationem, quod scilicet nedum ex modo nostro concipiendi intelligitur aptum inesse multis, sed de facto ipsis inest aut inesse potest à parte rei, ut natura humana; & illud quod est secundum rationem tantùm, quod nimirum quamvis à parte rei & ut in se est nequeat cõmunicari pluribus, id tamen ex modo nostro intelligendi ipsi non repugnat. Talem ergo asserit conclusio nostra esse naturam Angelicam.

Probaturque sic. Universale est unum aptum inesse multis: natura specifica Angeli ex modo nostro concipiendi est una apta inesse multis: ergo ex modo nostro concipiendi est universalis. *Probatur minor:* Ut natura concipiatur una apta inesse multis non requiri-

tur quod actu habeat multa, sed quod possit illa habere, sed natura specifica Angeli, quamvis ut in se est, nequeat habere plura individua, potest tamen illa habere quantum est ex modo nostro concipiendi. *Probatur minor:* ideo enim naturæ specificæ Angeli ut in se est repugnat habere plura individua, quia in se est singularis, sensu inferius explicando; & ideo ex se est singularis, quia immaterialis, subindeq; carens principio multiplicationis numericæ quod est materia: atqui à nobis non intelligitur ut talis sed concipitur ad modum rei corporeæ, proindeque ut abstracta à singularitate & immultiplicabilitate: ergo ex modo quo à nobis intelligitur, non repugnat ipsi habere plura individua. *Probatur minor:* quia pro hoc mortali statu conjunctionis animæ cum corpore intelligimus omnia, etiam spiritualia per species à rebus corporeis, mediis sensibus, receptas, eas subindè per se primo repræsentantes, cætera vero ad modum ipsarum: repræsentantes, inquam, non ut contractas per individuales & materiales differentias, sic enim nimis materiales forent & ipsæ species nec consequenter in intellectu, qui est potentia spiritualis, recipi possent: ergo ut abstractas ab illis: ergo sic eas cognoscimus, unumquodque enim cognoscitur prout per speciem repræsentatur.

Confirmatur conclusio & explicatur: ideo

natura

natura specifica corporea considerata ut est in se, est capax universalitatis, quia secundum se non importat singularitatem, sed potest ab eâ præscindi, & sic præcisa comparari ad plura: atqui hoc, quod natura corporea habet secundum se, natura spiritualis habet prout est in intellectu, cum ibi sit ad modum & instar illius, ergo licet ut est in se, non sit capax universalitatis, erit tamen prout est in nostro intellectu.

Dico: Ergo & natura Divina poterit fieri universalis ex modo nostro concipiendi, cũ similiter intelligatur pro hoc statu ad modũ rei corporeæ, subindeque possit ut talis à singularitate præscindi, sicut natura angelica.

Sed contra: quia natura specifica angeli ex modo nostro intelligendi abstrahitur à singularitate nedum exercitâ hic & nunc, quæ est ipsi omnino accidentalis, sed etiam signatâ & veluti vagâ quæ nõ est de primaria ejus ratione, sed se habet ad summum ut proprietas logicalis respectu ejus, quatenus ex eo quod sit immaterialis, consequitur per modum cujusdam attributi necessarii, quod sit numero immultiplicabilis & individua: quemadmodum ex eo quòd substantia non sit in subjecto consequitur ut proprietas attributalis & indistincta quod non habeat contrarium. At verò natura Divina, licet, quâ parte concipitur à nobis imperfectissimè ad modum etiam rei corporeæ, intelligatur ut

abstracta à singularitate exercita, quæ est extra rationem ejus sic conceptæ, (tametsi secundùm se sit ei essentialissima;) nō abstrahit tamen à singularitate signata, quæ est ipsi essentialis etiam ex modo nostro intelligendi, ita ut sine illa implicet formari conceptum Dei quemcunque tandem; *cum nomine Dei intelligatur ab omnibus ens aliquod supra omne ens, substantia supra omnem substantiam, subindeque aliquid quod non potest esse nec intelligi nisi unum.* Ergo licet natura angelica possit ex modo nostro concipiendi fieri universalis, non tamen Divina. *Probatur consequentia:* quia naturæ angelicæ, ex eo quòd abstrahatur ex modo nostro concipiendi à singularitate tam exercita quam signata, non repugnat ut tali, comparari ad plura individua, quæ quantùm est ex vi illius status habere posset; Divinæ vero naturæ id repugnat ob rationem oppositam; ergo, &c.

Fundamentum ergo proximum universalitatis in natura angelica erit status quem habet in intellectu nostro, rei veluti corporeæ & à singularitate abstractæ: fundamentum verò remotum erit distinctio veluti virtualis naturæ specificæ à singularitate quæ respectu illius se habet, ut dixi, sicut proprietas; hinc enim oritur quod natura illa ex modo nostro concipiendi abstrahi possit ab hujusmodi singularitate nedum exercita sicut natura Divina, sed etiam signata: quæ demum distinctio

stinctio fundatur in ipsa natura angelica quę secundùm se importat primariò sua tantùm prædicata essentialia inter quæ non est immultiplicabilitas aut individualitas, quæ solum ex illis consequitur. j. ex spiritualitate & immaterialitate, ut diximus. Ex quibus omnibus facilè solves objectiones.

Obiicitur enim primo: Ad rationem universalis requiritur, quod natura cum fundamento in re abstrahatur à suis inferioribus, & deinde quod comparetur ad illa, aliàs universalitas illa erit merè fictitia: atqui natura specifica angeli nequit cum fundamento in re abstrahi ab inferioribus, nec subinde comparari ad illa: ergo &c. *Probatur minor & primo quoad primam partem*, quia illa natura non habet plura inferiora, sed unicum ut supposuimus: *& si dicas* naturam specificam abstrahi ab inferioribus nihil aliud esse quam illam concipi non concepto ullo singulari, sive à parte rei habeat plura sive non: *Contra*, quia nullum est fundamentum sic concipiendi aut abstrahendi naturam specificam angeli, fundamentum enim huiusmodi abstractionis naturæ specificæ ab individuali sunt diversa principia à quibus desumuntur hi gradus, nempe materia & forma: atqui natura angelica non sunt hujusmodi principia, sed ab uno & eodem sumitur individualitas à quo unitas specifica, videlicet ab eadem simplici entitate quæ ex se indivi-

dualis

dualis est hoc ipso quod immaterialis: *ergo*, &c. *Secunda vero pars eiusdem minoris facile etiam suadetur:* quia ut natura specifica comparetur ad plura individua, debent illa saltem esse possibilia: sed non sunt possibilia naturæ specificæ angeli plura individua: ergo, &c. *Probatur minor*, quia ut supposuimus implicat contradictionem, quòd solo numero multiplicetur hujusmodi natura, quippe quæ essentialiter caret principio numericæ multiplicationis.

Respondeo distinguendo majorem: Cum fundamento in re, proximo vel remoto concedo: *Proximo*, nego: *Similiter ad minorem*: Nequit abstrahi cum fundamento in re, *proximo*, concedo: istud enim se tenet ex parte nostri modi intelligendi: *remoto*, nego, hoc siquidem est virtualis illa distinctio singularitatis à natura specifica. *Ad probationem primæ partis minoris recte respondetur ibidem*: *ad replicam nego antecedens*: *ad probationem eius*, *permissa majore*, quæ absolutè non habet verum nisi in substantiis corporeis, ut supra docuimus, *distinguo minorem*: Non sunt hujusmodi principia in natura angelica secundum se, concedo: ex modo nostro intelligendi, seu secundùm statum quem habet in mente nostra, nego, ibi enim est ad modum rei compositæ habentis formam in materia *ut loquitur D. Thomas* 1.*p.* *q.* 13. *a.* 9. *Similiter ad probationem secundæ partis eiusdem minoris distin-*

distinguo minorem: non sunt possibilia naturæ angelicę plura individua prout in se est, concedo: prout à nobis concipitur, nego.

Dices: illa individua possibilia vel sunt realia, vel fictitia: non realia, cùm nequeant dari à parte rei: nec fictitia, aliàs natura angelica intelligeretur prædicari posse de individuis seu angelis fictitiis.

Respondeo, esse realia ex modo nostro intelligendi, cum ex modo tantum nostro intelligendi dari possint.

Instabis: hoc est esse fictitia: *Respondeo id negando*, quia concipiuntur possibilia cum fundamento in re modo explicato.

Obiicitur 2. Nō potest cum fundamento natura aliqua concipi sub aliqua ratione repugnante essentiæ illius: sed universalitas seu aptitudo ad essendum in multis repugnat essentiæ specificæ angeli, cum essentialiter careat principio numericæ multiplicationis & sit singularis: ergo, &c.

Confirmatur sequeretur individuū ex modo nostro intelligendi posse fieri universale.

Ad obiectionem respondeo universalitatem non repugnare essentiæ angeli primario & directe, sed proprietati eius & secundariò seu ex consequenti: singularitas enim seu immultiplicabilitas ut diximus se habet solum ut proprietas ejus.

Ad confirmationem nego sequelam, quia individuum, quà tale importat singularitatem

 saltem

saltem signatam, cui universalitas directè repugnat, natura verò specifica angeli quamvis secundùm se importet singularitatem, non tamen ex modo nostro concipiendi, sicut nec natura specifica corporea ad cuius modum concipitur.

§. 4.

De Correlativo speciei, nempe Individuo.

CVM propria inferiora speciei, ipsique correlativa sint individua, ut perfectè natura hujus tertii prædicabilis explicetur, aliquid breviter de individuo subjungendum est.

Individuum autem duobus modis accipi potest, sicut & ipsa species, nempe primo intentionaliter, & secundo intentionaliter. Primo intentionaliter sumptum est quælibet natura singularis, sive sit substantialis, sivè accidentalis: ut Hæc albedo, Hic homo, Petrus: Bucephalus, & hujusmodi. *Individuum secundo intentionaliter acceptum est eadem natura singularis quatenus media intellectus operatione dicit relationem subiicibilitatis ad speciem, vel prædicabilitatis ad seipsam:* priori modo definitur sic, *Individuum est id quod subiicitur speciei:* posteriori sic, *Individuum est quod de uno solo prædicatur, seu natura singularis quæ de seipsa solum enuncia-*

enunciatur, unde istæ sunt propriæ prædicationes individui, Petrus est hic homo, Hic homo est Paulus & sic de aliis.

Dices: Petrus prædicatur de pluribus: ergo falsum est individuum esse id, quod de uno solo prædicatur.

Respondeo prædicari de pluribus quoad *nomen*, quatenus istud nomen *Petrus* pluribus imponitur: *non vero quoad rem significatam*, quatenus scilicet designat hunc hominem singularem. *Vnde negatur consequentia*, etenim per individuum non intelligimus nomen, sed naturam hanc singularem ad quam significandam imponitur nomen, quæ natura singularis de seipsa solum enunciatur.

Dices 2. Individuum etiam secundum rem significatam dicitur de pluribus: nam istæ prædicationes sunt veræ, Petrus est individuum i. natura singularis: Paulus est individuum: ergo individuum etiam secundum rem significatam non est id quod de uno tantum prædicatur. Idem argumentum fieri potest de persona, supposito, singulari, & similibus, quæ idem significare videntur ac individuum; nam verum est dicere, Petrus est persona, Paulus est persona & sic de cæteris.

Respondeo duplex distingui individuum, aliud vagum, aliud determinatum: individuum vagum idem est ac individuum ut sic & in communi seu ut dici solet in *actu signato*, quale de-

signant ista nomina, Individuum, Singulare, Natura singularis, Quidam homo, & similia: *individuum vero determinatum idem est ac individuum hoc in particulari designatum*, puta Petrus, quem digito indico, & potest dici individuum *in actu exercito*; & hoc modo significatur & exprimi solet vocabulis propriis, vel etiam communibus per pronomen demonstrativum determinatis, ut, Petrus, Hic homo. Hæc natura singularis. *Hoc posito, ad argumentum distinguo antecedens, & de individuo vago concedo, de individuo determinato nego*, unde nihil contra nos, qui de individuo tantum determinato loquimur in ea definitione.

Potest autem individuum determinari ac designari per quædam accidentia, quæ licet singula diversis competere queant, tota tamen eorum collectio nequit nisi uni esse propria: hujusmodi autem accidentia quibus designari ac veluti definiri potest quodlibet individuum, sunt præcipuè quæ his carminibus comprehenduntur.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis,
Patria, sunt septem quæ non habet unus & alter.

SECTIO IV.

De Proprio, quarto prædicabili.

QUATUOR modis sumitur proprium, *primo modo dicitur illud quod convenit soli, sed non omni.* ut esse medicum, quod competit soli homini, non tamen omni: *secundo modo è contra est illud quod convenit omni sed non soli,* ut esse bipedem quod omni sed non soli homini competit: *tertio modo dicitur id quod convenit & omni & soli, sed non semper,* ut canescere, quod convenit omni homini & soli non semper, sed solum in senectute (hoc exemplum ponitur à Porphyrio, valeat quantum poterit:) tandem quarto modo dicitur proprium, illud quod convenit omni soli & semper, ut homini esse risibile.

Sensus hujus divisionis est, proprium aliud esse quod prædicatur de solis alicuius speciei inferioribus, sed non de omnibus: aliud de omnibus sed non de solis: aliud de omnibus & solis sed non semper: aliud denique de omnibus, solis, & semper.

Dico 1. Solum proprium quarto modo, i. illud quod prædicatur de omnibus alicujus speciei inferiori-

ferioribus & de solis ac semper, habet rationem quarti prædicabilis, proprium vero primo, secundo, & tertio modo pertinet ad quintum prædicabile.

Probatur: Proprium quod constituit quartum prædicabile, est illud quod prædicatur de pluribus in quale accidentale necessariũ, ut sect. 1. explicuimus: atqui solum propriũ quarto modo id habet: ergo illud solum constituit quartum prædicabile. *Probatur minor*: illud solum prædicatur necessario de aliquo, quod habet necessariam connexionem cum eo, ita ut salva eius essentia non possit negari de illo: atqui solum proprium quarto modo est tale, non vero proprium tribus prioribus modis, etenim salva essentia Petri negari potest de illo quòd sit medicus, quòd sit bipes, quòd in senectute canescat; non tamen quod sit risibilis, *cuius ratio est* quia risibilitas & quodlibet proprium quarto modo, licet non sit de essentiâ rei oritur tamen & profluit necessariò ab illa, atque ita necessariam cum ea habet connexionem, unde positâ essentiâ necesse est poni & proprietatem, & ablatâ auferri, ac è contra: unde Aristoteles definiens proprium ait *esse id quod soli inest & conversim de re prædicatur*: Vt est homo, ergo est risibilis. Est risibilis, ergo est homo: Item: Non est risibilis, ergo non est homo: non est homo, ergo non est risibilis.

Dico 2. Proprium infimum constituitur
in

in ratione universalis per ordinem ad individua, non vero per respectum ad speciem cum qua convertitur. Hæc conclusio facile colligitur ex his quæ supra sect. 2. §. ult. diximus de differentia infima.

Probatur & explicatur: duplex enim est proprium: aliud infimum, quod consequitur differentiam infimam seu specialissimam, subindeque cum specie atoma convertitur, ut risibile, quod consequitur rationalitatem & convertitur cum homine: aliud subalternum, quod dimanat à differentia subalterna & cum specie subalterna convertitur ut dormitivum, quod dimanat à sensibili & convertibiliter de animali prædicatur. *Hoc posito sic suadetur conclusio.*

Universale est unum in multis, subindeque debet dicere ordinem ad plura inferiora: atqui risibile, v.g. non potest dicere ordinem ad alia inferiora quam ad individua: ergo constituitur universale per ordinē ad individua. *Probatur minor*: Risibile enim comparatur vel ad hominem vel ad individua ejus, respectu primi est prædicatum æquale convertitur enim cum homine; respectu vero individuorum habet rationem superioris atque adeo illa dumtaxat respicere potest ut inferiora: unde istæ sunt prædicationes hujus quarti prædicabilis, Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, &c. Hæc vero, Homo est risibilis, cum sit prædicatio æqualis de æ-

quali, nō pertinet directe ad hoc prædicabile, quod ut tale prædicari debet de inferioribus per ordinem ad quæ dicitur universale & prædicabile: pertinet tamen reductive.

Quod diximus de proprio infimo comparatione individuorum, dicendum est de proprio subalterno in ordine ad species inferiores, ita ut per respectum ad illas fiat universale, & non per ordinem ad speciem subalternam cum qua convertitur.

SECTIO V.

De Accidente Quinto Prædicabili.

D*Vplex solet distingui Accidens, Physicum scilicet & logicum.* Accidens Physicum est quod distinguitur contra substantiam, & definitur *Ens in alio*, dividiturque in novem genera seu prædicamenta, quantitatem, qualitatem, &c. propter quod etiam appellatur accidens prædicamentale. *Accidens vero logicum seu prædicabile dicitur* id omne quod non est de essentia aut quidditativo conceptu rei, nec propria ejus passio quidquid tandem illud sit, sive sit ens reale sive ens rationis, sive sit entitative & physice substantia sive accidens, quo sensu non solum prædicata

harum

harum propositionem (Paries est albus, Homo est doctus, Animal est genus) & similium dicuntur accidentia; sed etiam istarum (Animal est rationale, Cathedra est lignea, &c.) quia licet ista sint entitative substantialia, non tamen sunt de essentia subjecti aut proprietates eam necessario consequentes sicut nec illa, neque enim est de quidditate aut exigentia cathedræ quod sit ex ligno, nec animalis quod sit rationale. Quo fit has prædicationes & similes esse contingentes ad hoc quintum prædicabile spectantes.

Proinde accidens in hac secunda acceptione, prout scilicet complectitur omne id quod non est de essentia rei aut ejus proprietas, constituit quintum prædicabile, quod à Porphyrio ita definitur: *Accidens est quod potest abesse & adesse sine subjecti corruptione.* Cujus definitionis sensus non est, accidens posse indifferenter adesse & abesse realiter à subjecto cum plura sint accidentia naturaliter saltem inseparabilia, ut albedo à cygno, sed quod possit adesse & abesse per intellectum, *id est, affirmari aut negari indifferenter salva ejus essentia.* Hoc posito.

Dico 1. legitimam esse præfatam hujus quinti prædicabilis definitionem: Accidens est quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione.

Probatur: quia hæc coincidit cum illa quam supra sect. 1. attulimus, nempe, *Accidens*

dens est id quod prædicatur de pluribus in quale contingenter, quæ legitima est: cum per eam explicetur & id in quo istud prædicabile quintum convenit cum aliis prædicabilibus, & illud in quo differt ab eis: ergo & ista legitima erit. *Antecedens probatur*, nam ut statim dicebamus sensus hujus definitionis (*Accidens est quod adest & abest sine subjecti corruptione*) est ille, Accidens est id quod indifferenter affirmatur aut negatur de subjecto salva ejus essentia: atqui hoc est prædicari contingenter: etenim de aliquo contingenter prædicari nihil aliud est quam prædicatum ita de illo affirmari ut absque præjudicio essentiæ ipsius possit de eo negari, aut è converso ergo, &c.

Objicies. Sunt quædam accidentia quæ non possunt adesse & abesse à subjecto, etiam sensu à nobis explicato j. per intellectum, seu per affirmationem aut negationem: ergo præfata definitio non est legitima. *Probatur antecedens*: Albedo enim est accidens respectu cygni, v.g. & de eo prædicatur prædicatione quinti prædicabilis: atqui illa nequit abesse & adesse j. indifferenter affirmari aut negari de cygno ergo, &c. *Probatur minor*: quia hæc propositio, cygnus non est albus, est falsa: ergo albedo nequit de eo negari.

Respondeo me non dixisse accidens esse id quod potest indifferenter adesse & abesse, affirmari

firmari aut negari, *absolute*, sed tantum cum addito, scilicet *salva essentia subjecti*, seu *absque ejus destructione: Ex quo in forma distinguo antecedens*: Sunt quædam accidentia quæ non possunt negari, *absolute* concedo, cum hoc addito, *salva essentia subjecti*, nego: unde hæc propositio cygnus non est albus, vel cygnus est niger absolutè, prolata falsa est: si vero dicatur, cygnus non est albus aut est niger *salva sua essentia*, vera est.

Instabis. Mora & existentia sunt accidentia logica, & tamen mors nequit adesse j. affirmari, nec existentia abesse, seu negari de homine: e. g. salva ipsius essentia. ergo responsio nulla.

Respondeo, quod quamvis non possint affirmari aut negari salva essentia *in actu exercito*, id est salva entitate ipsa hominis prout est hic & nunc à parte rei; possunt tamen salva essentia *in actu signato*. j. *salvis prædicatis essentialibus, seu definitione*: ita ut quamvis dicatur. Homo est mortuus, aut, Homo non existit, adhuc nihilominus verum sit dicere hominem esse animal rationale; quod non esset si diceretur Homo est hinnibilis, aut homo non est risibilis: eo quod hinnibilitas necessariam habet connexionem cum irrationalitate, & risibilitas cum rationalitate; mors autem & existentia solum contingentem: indifferens siquidem est secundum se id quod dicitur ad essendum actu, vel non; secus

cus vero ad essendum ut ita dicam, risibile, vel hinnibile necessario enim est risibile.

Vrgebis: unum ex prædicatis essentialibus hominis est vivens: atqui mors nequit affirmari de homine sine destructione hujusmodi prædicati: ergo destruit aliquod prædicatum essentiale.

Respondeo distinguendo majorem: Vivens in actu signato, seu nominaliter sumptum, prout importat tantum vitam aptitudinalem, concedo: *Vivens in actu exercito, seu participaliter sumptum* quatenus importat vitam actualem, nego: hoc secundo modo acceptum destruitur per mortem, non autem primo, atque ita non sequitur destrui prædicatum essentiale, sed tantum accidentale, vita enim actualis & exercita contingenter convenit homini, sicut & existentia.

Dico 2. Accidens constituitur in esse universalis & quinti prædicabilis per ordinem ad subjecta quæ denominat, non vero per respectum ad propria inferiora quibus essentialiter competit. Unde hæ prædicationes sunt quinti prædicabilis, Petrus est albus, Ioannes est coloratus: non vero istæ, Hoc album est album, aut Album est coloratum.

Ratio est manifesta quia album essentialiter & non contingenter prædicatur de hoc & illo albo, sicut etiam coloratum, nec possunt de illis, salva eorum essentia negari: utrumque vero contingenter prædicatur de Petro, de Ioan-

Ioanne, de pariete, & potest salva eorum essentia negari de ipsis. Idem proportionaliter dicendum est de omnibus aliis: ergo, &c.



DISPUTATIO III.

De proprietatibus universalium.

EXAMINATA essentia & speciebus universalis, consequens est ut de proprietatibus eius aliquid subjungamus. *Duæ autem sunt potissimum affectiones universalium: altera quæ convenit ipsis ratione materialis*, videlicet *esse perpetuum*, ipsæ enim naturæ communes seu rerum essentiæ, quæ substernuntur universalitati, dicuntur & sunt perpetuæ, sensu postea explicando (juxta quem scientiæ dicuntur esse de rebus perpetuis, eò quod agant solum de naturis universalibus quæ perpetuæ sunt & immutabiles.) *Altera competit eis ratione formalis, nempe esse prædicabile.* nam ex eo quod aliquid sit unum in multis, in quo sita est ratio universalis, consequitur tamquam propria passio quod sit prædicabile de illis. De hac ergo duplici proprietate universalis agemus in hac duplici sectione sequenti.

SECTIO

SECTIO I.

An Vniversalia sint perpetua?

ADVERTE quæstionem hanc tripliciter posse intelligi: *Primo, utrum universalia sint perpetua quantum ad esse essentiæ: secundo: quantum ad esse existentiæ: Tertio, quantum ad esse quod significat veritatem propositionis, seu connexionem prædicati cum subjecto.* Hoc posito, incipiendo à certioribus.

Dico 1. Vniversalia nullatenus esse perpetua quantum ad existentiam. Est contra Platonem qui dicebat naturas universales extitisse ab æterno & ante singularia, à quibus volebat eas esse separatas.

Probatur tamen conclusio ex opposito fundamento. Singularia non habent existentiam ab æterno, cum non fuerint ab æterno producta, ut fides docet, & videbimus in libris de cœlo, ubi ostendemus mundum non fuisse conditum ab æterno sed in tempore, juxta illud, *In principio creavit Deus cœlum & terram:* atqui naturæ universales sunt identificatæ cum singularibus, & non separatæ ab illis ut supra ostensum est: ergo non existunt ab æterno.

Dico

Dico 2. Universalia non esse positive perpetua quantum ad esse essentiæ, sed negative solum. Sensus primæ partis est naturas universales non habuisse ab æterno & antequam singularia producerentur, aliquam entitatem seu realitatem essentiæ extra Deum, Dico *extra Deum*, quia naturas illas esse ab æterno in Deo tanquam in prima causa efficienti & exemplari, non nego, sed suppono; sub qua tamen ratione non tam sunt essentiæ creaturarum, quam ipsa creatrix essentia, *ut loquitur D. Thomas*, eo scilicet quia eas continet non formaliter ut sunt in seipsis, sed eminenter seclusis imperfectionibus. *Sic intellecta*

Prima pars conclusionis probatur: Omne quod est extra Deum est productum, nihil enim est improductum & à seipso, nisi Deus: atqui naturæ secundum entitatem essentiæ non sunt productæ ab æterno: ergo non sunt ab æterno quoad entitatem essentiæ. *Minor probatur*: Omne ens productum seu extra causas positum, existit, cum existentia, in re quæ causas habet, nihil aliud sit quam positio ipsius extra illas (*existentia enim, juxta nominis etymon, dicitur quasi extra causas aut extra nihil sistentia*): atqui naturæ non existunt ab æterno ut conclusione præcedenti ostensum est: ergo non sunt ab æterno productæ.

Secunda vero pars suadetur ex discrimine, inter æternum positive & æternum negative.

Æternum

Æternum enim Positive dicitur illud quod habet in se positivam durationem æternam & infinitam, id est principio & fine carentem, ratione cujus ad omne omnino tempus imaginabile, præteritum, præsens, & futurum se extendit: æternum vero *Negative dicitur id, quod de se non est determinatum ad aliquod certum tempus, sed indifferens ad hoc vel aliud.* Eo modo quo universale positive dicitur illud quod habet positivum ordinem seu aptitudinem ad existendum in multis: negative vero, quod non est determinatum ad unum, sed indifferens, *Ex quo sic argumentor.* Quamvis enim essentiæ rerum non habeant in se durationem realem infinitam, ratione cujus ad omne tempus se extendant, ut jam probatum est, non tamen etiam ex se & sua ratione sunt determinatæ ad aliquod certum tempus, sed indifferentes ad hoc vel ad illud, homo enim secundum suam essentiam non importat nec sibi determinat aliquod tempus in particulari in quo debeat esse, sed ut sic abstrahit ab omni tempore, cum sub illo statu non importet nisi sua prædicata essentialia: concluditur ergo, quod quamvis universalia non sint perpetua positive secundum esse essentiæ, dici tamen possunt perpetua negative. Et quod dico de hoc quod est esse perpetua, idem censendum est de hoc quod est esse ubique, esse ingenerabilia, esse incorruptibilia, & hujusmodi: hæc enim omnia

nia conveniunt eis, non positive, quasi sint in omni loco, quasi non generentur aut corrumpantur, seu non oriantur vel intereant ortis aut peremptis individuis; sed negative quatenus secundum se non important principia suæ generationis aut corruptionis, nec sunt determinata ad aliquem certum locum: unde de illis verificatur illud, *Quod ubique est nullibi est*, quia ea tantum ratione dicuntur esse *ubique & immensa, quatenus non sunt in aliquo loco, sed indifferentia ad omnem locum*; non vero quia sint in omni loco sicut Deus, qui ideo dicitur immensus & esse ubique positive.

Dico 3. universalia esse perpetua etiam negative, quantum ad esse quod significat veritatem propositionis sive connexionem prædicati cum subjecto: quod alii aliis terminis, dicunt, *nempe propositiones universales & necessarias esse æternæ veritatis.*

Probatur, esse quod significat veritatem propositionis est esse copulæ; seu illud quo in propositione hoc dicitur esse illud, puta Homo esse animal rationale: atqui universalia quantum ad illud esse sunt perpetua negative, non positive: ergo, &c. *Probatur minor*: Ut essent positive perpetua quantum ad illud esse, deberet dari ab æterno connexio positiva inter prædicatum & subjectum, inter hominem, v. g. & animal rationale, sicque deberent illa extrema esse à parte rei ab

æterno; ut vero sint negative æterna sufficit connexio seu identitas negativa, seu quod idem est, negatio diversitatis inter illa, quæ connexio aut diversitatis negatio verè reperitur inter hominem & animal rationale, etsi nõ existant, siquidem animal quod de essentia hominis non est nec esse potest aliud ab ipso.

Ex quibus infertur quomodo propositiones universales & necessariæ dicantur esse æternæ veritatis: quatenus scilicet in illis connexio prædicati cum subjecto, quæ est veritas fundamentalis & objectiva, abstrahit ab omni tempore, quod est esse æternas negative. Agitur hic de veritate fundamentali & objectiva, quia loquimur de ea quæ reperitur in rebus ipsis: quamvis inde inferatur prædictas propositiones esse etiam veras ab æterno veritate formali in intellectu Divino, cũ Deus connexionem illam prædicati cum subjecto ab æterno cognoscat.

Infertur etiam discrimen inter propositiones necessarias & contingentes, quare scilicet illæ dicantur esse æternæ veritatis, non istæ: quia scilicet in illis copula & connexio prædicati cum subjecto abstrahit à tempore, eo quod secundum se uniantur extrema illa; secus vero in contingentibus, unde ad veritatem istarum requiritur quod extrema de facto existant secundum tempus importatum per verbum copulans.

Dices:

Dices: Ista propositio, Antichristus erit, est vera ab æterno, tum ex parte ipsius objecti, tum ex parte intellectus Divini: & idem dici potest de aliis propositionibus contingentibus in ordine ad Divinum intellectum, qui ab æterno earum veritatem cognoscit: ergò sunt æternæ veritatis sicut necessariæ.

Respondeo distinguendo antecedens: Per se & ratione connexionis necessariæ prædicati cum subjecto, nego: *per accidens ratione decreti Divini ita determinantis*, concedo: & nego cõsequentiam, propositiones enim necessariæ id habent ex natura sua.

Objicies contra duas præcedentes conclusiones Naturæ universales, antequam singularia producantur, nihil sunt: ergo falsum est eas esse negativè etiam perpetuas, sive quoad esse essentiæ, sive quoad esse, quod significat veritatem propositionis.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: quia naturas universales esse negativè perpetuas quantum ad esse essentiæ: aut quantum ad veritatem propositionum quæ de illis efformari queunt, nihil aliud est quám eas in suo conceptu essentiali, & quãtum ad connexionem seu identitatem negativam attributorum essentialium cum ipsis, abstrahere ab omni tempore quod verissimum est, etiamsi illæ naturæ nihil ponant in re ab æterno.

L SECTIO

SECTIO II.

An & quomodo Vniversalia sint prædicabilia de suis Inferioribus, in concreto scilicet an in abstracto.

CERTUM est inprimis universalia omnia esse prædicabilia de suis inferioribus quibus insunt, ut enim sæpius diximus ex inesse sequitur prædicari tanquam proprietas: unde solum restat resolvendum quomodo de illis prædicari debeant, quæ est secunda pars tituli, pro cujus elucidatione.

Adverte primò, illud esse discrimen inter concretum & abstractum, sicut alias diximus *quod concretum significat formam ut in subjecto vel supposito*, v. g. Album significat albedinem ut subjecto inhærentem, Homo humanitatem ut concretam aut conjunctam supposito: abstractum verò significat *eandem formam secundum se & quasi per se stantem & solitariè sumptam, ac veluti à subjecto abstractam*, non quod revera in subjecto non sit, sed quia nomen abstractum eā ut in subjecto existentem non significat. Unde concretum & abstractum in ejusdem formæ signi-

nificatione conveniunt, Album quippe & albedo eandem planè formam designant, differunt verò in modo significandi illam, quatenus illud significat eam ut conjunctã cum subjecto, istud secundum se, sensu explicato. Unde ulterius habes abstracta significare ut partes, concreta verò ut tota. Albedo enim v. g. solam formam qua subjectum constituitur album, significat, quæ proinde ut talis habet rationem partis componentis actu vel aptitudine, una cum subjecto, totum accidentale, nempe album: Album verò significat illud totum ex subjecto & albedine coalescens, idem enim est Album, ac habens albedinem. *Sed circa hoc.*

Adverte Secundo. quod quamvis omne abstractum significetur ut pars, illud tamen inter abstracta substantialia & accidentalia intercedit discrimen, quod abstracta substantialia, v. g. Humanitas & Animalitas, non solũ significantur ut partes; sed sunt reipsa partes, siquidem una cum supposito cõstituunt unum per se, quod non nisi ex partibus quæ sint reverà tales & incompletè coalescere potest, ex entibus enim completis nõ potest fieri unum nisi per accidens: Abstracta verò accidentalia, ut Albedo, Color, & alia licet quodammodo significentur ut partes, quatenus una cum subjecto cõstituũt quoddam totum accidentale, puta Album, aut coloratum, reipsa tamen non sunt veræ partes,

 Sed

ſed potius tota aut totales & completæ eſſentiæ in proprio genere, cum nihil deſit colori, e. g. intra proprium genus qualitatis per quod eſſentialiter compleri debeat, nec etiam ordinetur ad complendum eſſentialiter aliud, ſed ſolùm ad perficiendam accidentaliter ſubſtantiam, ex qua & ex hujuſmodi accidente fit tantum unum per accidens utpote ex entibus diverſorum prædicamentorum & in ſuo genere completis coaleſcens. *Ex quibus ulterius habes*, quod cùm abſtractum ſubſtantiale ſit eſſentialiter principium ſeu pars ſui concreti, debet ſemper ſumi ut tale, humanitas, v. g. ut principiũ, *quo*, homo eſt homo, animalitas ut id quo animal eſt animal: at vero abſtractum accidentale, cùm ſit tantum ſecundum quid & accidentaliter pars, abſolutè verò ens cõpletum in ſuo genere, per ordinem quidem ad concretum accidentale debet ſumi ut pars aut principium quo illud eſt tale, ſed abſolutè habet rationem totius, & intelligi debet veluti ad modum per ſe ſubſiſtentis.

Adverte tertiò prædicationem unius de alio eſſe triplicem, nempe materialem, identicam, & formalem. Prædicatio materialis eſt, quando prædicatum eſt idem materialiter & realiter cum ſubjecto, formaliter tamen diverſum ab illo, ita ut nec actu nec potentia ipſum includat aut contineat, ſed potius excludat, vel partim, ut

in

in hac propositione, Humanitas est rationalitas, ubi rationalitas excludit animalitatem, quæ est pars humanitatis; vel omninò ut in ista. Animal est rationale, ubi subjectum & prædicatum mutuò se excludunt, cum sint compartes de quarum ratione est mutua exclusio. *Prædicatio autem identica est ea*, in qua prædicatum est omnino idem cum subjecto tam realiter quàm formaliter, ita ut non solum in potentia & confusè sed etiam actu & explicitè importet idem quod subjectum, ut si dicas, Petrus est Petrus, vel ensis est gladius. *Prædicatio verò formalis mediat inter duas priores.*, est enim ea in qua prædicatum nec omnino est diversum à subjecto formaliter, eo modo quo in prædicatione materiali; nec etiam omnino idem ut in idẽtica, sed medio modo, ita ut subjectũ includat prædicatũ actu, prædicatum verò in potentia solum & confusè contineat subjectũ, quatenus est determinabile & contrahibile per illud aut ad illud sive essentialiter ut animal ad hominẽ, sive accidentaliter ut album per dulce, unde hæ propositiones sũt formales, Homo est animal Dulce (de signato lacte, e.g.) est album: & sic de aliis. His positis.

Dico primo, genus & speciem in substantiis prædicari debere de suis inferioribus in concreto, in accidentibus verò in abstracto. Sensus est in prædicatione formali horum duorum prædicabilium prædicata & subjecta

substantialia debere significari terminis concretis, hoc modò. Homo est animal, Petrus est homo, in accidentalibus verò, terminis abstractis, ut albedo est color: non verò è contra, dicendo Humanitas est animalitas, aut, Album est coloratum; quamvis enim hæc posterior prædicatio sit formalis, non est propria prædicatio generis aut speciei, sed reductivè duntaxat ad eam pertinet, quod constabit ex probationibus.

Probatur primò ergò conclusio: quia eo modo debent prædicata generica & specifica enunciari de suis inferioribus, quo subeunt rationem generis & speciei: atqui substantiæ non subeunt rationem generis & speciei nisi in concreto, nec accidentia nisi in abstracto: ergò, &c. *Probatur minor*, quia duæ exiguntur conditiones ut aliquid habere possit rationem generis vel speciei, *Prima* est, quod sit totum quoddam in potentia continens inferiora. *Secunda*, quod sit unum per se: illa deest substantiis in abstracto, quæ habent rationem partis ut diximus in notabili secundo; hæc deest accidentibus in concreto quæ licet quoad rem significatam, nempe formam, sint entia per se, sunt tamen quo ad modum significandi entia per accidens; significant enim formam ut conjunctam cum subjecto, quæ duo sunt entia completa ex quibus non nisi unum per accidens

cidens consurgere potest: ergo substantiæ non induunt rationem generis & speciei, nisi in concreto, accidentia verò in abstracto.

Quod si in prædicationibus horum duorum prædicabilium prædicata substantialia debeant esse concreta, accidentalia verò abstracta, ut ratio adducta convincit, consequenter etiam subjecta eodem modo significari debent; *Et ratio est*, quia concretum nõ prædicatur saltem prædicatione formali de abstracto, sicut nec è contra: neque enim hæ propositiones sunt veræ, Humanitas est animal. Album est albedo. aut è converso: Quod ex eo probatur, quia totum nequit prædicari de parte, nec pars de toto, neque enim dicere possumus, Homo est anima, Homo est corpus, brachium, aut hujusmodi nec vicissim, Anima, corpus, aut brachium est homo: quia scilicet in vera & formali prædicatione unum extremum debet continere actu vel potentia totum quod aliud importat; nec plus nec minus, alias falso diceretur hoc esse illud; quod non habet pars respectu totius, nec totum comparatione partis, minus enim importat pars quàm totum: subsumendo autem constat concretum esse totum, abstractum verò esse partem, ergo &c.

Dixi concretum non prædicari, saltem prædicatione formali de abstracto, vel è converso:

ut inverterem *quædam esse concreta & abstracta quæ de se invicem enunciari possunt saltem prædicatione materiali*, videlicet prædicata transcendentalia & Divina : hæ namque propositiones, Deus est Deitas, aut, Deitas est Deus, Ens est entitas, Entitas est verum, Bonum est veritas, & similes veræ sunt in sensu materiali: eo quod in illis abstractũ non est pars concreti: neque enim ens aut Deus aliquid important ex parte rei significatæ, quod non importent entitas & Deitas. Quia tamen hujusmodi abstracta, etsi reverà non sint partes concretorum; nihilominus quodammodo significantur ut tales, *ideò non prædicantur prædicatione formali de illis concretis quæ significantur ut tota, nec è converso, sed prædicatione tantum materiali ut dixi.*

Probatur secundò conclusio specialiter quoad primam partem. Quia in prædicatione formali prædicatum debet continere in potentia subjectum, ut sæpius dictum est: atqui in substantiis solum concretum id habet, non verò abstractum: ergò, &c. *Probatur minor*: Animal enim continet in potentia hominem, quatenus ad ipsum contrahi potest per rationale: at verò animalitas non continet in potentia humanitatem, quia & est pars humanitatis, & significatur ut pars, pars verò ut pars non continet totum: ergo &c.

Dices

Dices, ita se habet animalitas ad humanitatem, sicut animal ad hominem, quemadmodum enim homo constat animali & rationali, ita humanitas animalitate & rationalitate: ergo sicut animal continet in potentia hominem, & prædicatur prædicatione formali de illo, ita dicendum de animalitate respectu humanitatis.

Respondeo eodem modo se habere materialiter, non autem formaliter, ob diversum modum significandi, quamvis enim utrumq; sit pars, attamen animal significatur ut totum, & sic confusè & in potentia continet rationale, animalitas verò significatur ut pars subindeq; ut excludens, non verò ut in potentia continens aliam compartem hoc est rationalitatē.

Instabis: Animalitas significatur solùm ut pars sui concreti, scilicet animalis, non verò ut pars abstracti inferioris, nempe humanitatis, sicut color significatur ut pars colorati non verò albedinis: ergo sicut hac de causa abstractum accidentale non prædicatur quidem de suo concreto, benè tamen de abstracto inferiori, ita & substantiale.


Respondeo negando antecedens & paritatem: ratio disparitatis inter animalitatem respectu humanitatis, & colorem respectu albedinis est, quia animalitas significatur ut id quo animal (prout condistinctum à rationali subindeque prout pars cum eo hominem componens) est animal, atque adeo signifi-

catur etiam ut condistincta à rationalitate, & ut pars cum ea humanitatem constituens: Color verò non sic, sed significatur ut id quo coloratum (prout est totum potentiale respectu albi, nigri & hujusmodi) est coloratum, proindeque licet significetur ut pars illius, non tamen ut pars albedinis, sed ut in potentia eam continens, atque ita prædicatur formaliter de illa non verò animalitas de humanitate.

Ex his ergo habes abstracta substantialia non prædicari de abstractis inferioribus formaliter, sed tantum prædicatione materiali, ut in exemplo illo. Humanitas est animalitas.

Dico 2. differentiam, proprium & accidens debere prædicari in concreto de suis inferioribus, Ratio est in promptu, quia hæc tria universalia prædicantur in quale, ut dictum est: ad veritatem autem prædicationis quæ fit in quale, necesse est quod prædicatum significetur adjectivè seu per modum adjacentis subjecto, quod non contingeret, si prædicaretur in abstracto quod significat formam ad modum per se stantis: ergo, &c.

In



In Librum Categoriarum Aristotelis.

DISPUTATIO I, Ordine IV.

De Antepradicamentis.



ATEGORIÆ seu Pradicamenta (à verbo Græco κατηγορέω j. enuncio aut prædico) *dicuntur series seu coordinationes pradicabilium, in quibus superiora de inferioribus pradicantur,* ut infrà suo loco explicabitur. Antepraedicamenta verò appellantur *quadam ad eorum notitiam & explicationem necessariò pracognoscenda,* de quibus in sectionibus sequentibus.

SECTIO

SECTIO I.

De Univocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis.

QUIA prædicamenta scilicet, *substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quando, ubi, situs, habere*, possunt tripliciter comparari: *Primò* ad ens cujus sunt membra dividentia analogata ipsumq; proinde respectu illorum est analogum; *Secundò*, singula ad sua propria inferiora respectu quorum sunt univoca, & illa subinde membra univocata ipsorum: *Tertiò*, ad se invicẽ, maximè verò novem prædicamenta accidentium ad primum quod est substantia respectu cujus sunt denominativa, (substantia enim denominatur quanta aut extensa à quantitate, relata à relatione, &c.) ideo ad faciliorem intelligentiam prædicamentorũ explicandum est prius *quid sint univoca, analoga & denominativa*: & quia analoga sunt media inter univoca & purè æquivoca, ideo dicemus etiam quid sint æquivoca.

Adverte autem quod jam insinuavimus, *aliud esse univocum univocans, aliud univocum univocatum, similiter aliud analo-*

gum

gum analogans, aliud analogum analogatum, & idem de æquivoco: univocum univocans est ipsum nomen quod dicitur univocum, ut Animal: *univoca verò univocata dicuntur illa* quæ in tali nomine conveniunt, ut Homo, Equus, & hujusmodi: idem dic proportionaliter de analogis & æquivocis, His positis.

Dico 1. *univocum univocans est nomen immediate significans rationem aliquam in pluribus simpliciter eandem* (ut alias diximus, terminum univocum qui idem est, definientes) seu, *est nomen significans plura non ut diversa, sed ut in aliqua ratione simpliciter convenientia*, in idem enim redit hæc descriptio Exemplum est in hoc nomine, Animal; quod significat rationem viventis sensitivi in homine & bruto simpliciter eandem, aut quod idem est significat hominem & brutum non secundum proprias differentias ac diversa sunt, sed quatenus in illa ratione conveniunt, quæ eodem planè modo in illis reperitur.

Unde constat rectè definiri ab Aristotele *univoca* (subaudi) *univocata dum ait univoca esse ea quorum nomen commune est, & ratio per illud nomen significata eadem*: patet exemplo in homine, equo, leone, & cæteris quæ conveniunt tum in nomine animalis, tum in ratione seu essentia per illud importata quæ reperitur in illis eadem.

Dico 2. Æquivocum æquivocans è contrario est nomen significans immediatè plura, omnino ut diversa, & non ut convenientia in aliqua ratione, quæ per illud nomen significetur. Exemplum est in hoc nomine, Canis, quod immediatè significat animal latrabile, piscem aliquem & quoddam sidus quod Canis aut Canicula solet appellari, significat (inquam) illa secundum proprias differentias absolutè, & non ut in aliqua ratione ullo modo conveniunt. Dixi. *Quæ per illud nomen significetur:* quia ut nomen sit æquivocum, non requiritur quod ea quæ significat, in nulla prorsus ratione conveniant, sed sufficit quod non conveniant, in aliqua ratione quæ per illud nomen importetur: unde licet canis terrestris seu latrabilis, canis marinus, & canis cœlestis, univoce conveniant in ratione substantiæ & corporis; nomen tamen canis est æquivocum respectu illorum, quia non significat ea secundum quod conveniunt in illa ratione sed secundum proprias differentias & ut diversa sunt.

Ex quibus sequitur æquivoca æquivocata recte posse definiri, *Ea quorum nomen commune est, ratio vero per illud nomen significata omnino diversa.* Patet in exemplo illo de cane terrestri, marino, & sidereo, quibus commune est nomen canis, ratio vero per illud importata, ut loquitur Aristoteles, *illi nemini accommodata omnino diversa,* siquidem significat

ficat immediatè proprias illorum rationes ut diversæ sunt, & non ut in aliquo convenientes.

Dico 3. Analogum analogans (quod mediat, inter univocum & pure æquivocum, quamvis magis accedat ad istud) *est nomen significans immediate rationem simpliciter diversam in multis, secundum quid vero eandem:* seu quod idem est *significans immediate plura simpliciter diversa, & tamen in aliqua ratione aliqualiter secundum quid convenientia.* Exemplum sit tum in hoc nomine, sanum, quod immediate significat rationem sanitatis in animali, medicina, & urina; (nam & animal dicitur sanum, & medicina dicitur sana, & urina similiter) significat inquam sanitatem aut rationem sani in illis simpliciter diversam (alio enim modo animal dicitur sanum, quatenus scilicet habet in se sanitatem, alio modo medicina quatenus illam causat, & alio urina quatenus illam significat,) secundum quid tamen eandem, quatenus per habitudinem aut respectum ad eandem sanitatem omnia illa dicuntur aut denominantur sana: tum in nomine Entis, quod juxta dicenda in Metaphysica, per se primo & immediatè significat rationem essendi in substantia & accidente simpliciter diversam, in illa enim est ratio essendi per se, in hoc ratio essendi in alio; secundum quid tamen eandem. quatenus

tenus etiam per habitudinem ad eandem entitatem, aut secūdum quandam inter se proportionem vel propoitionalitatem, modo infra & loco citato explicando, dicuntur entia. In idem autem redit dicere illa significare rationem sani aut entis simpliciter diversam, secundum quid verò eandem in hujusmodi inferioribus, ac dicere quòd significent inferiora illa ut simpliciter diversa & secundum quid convenientia in illis rationibus, modo explicato.

Vnde habes analogum non importare solum in potentia sua analogata, sicut univocum sua univocata, nec exadverso importare illa actu explicito sicut æquivocum importat sua æquivocata: sed medio modo, id est, actu implicito & confuso: quod idem est ac importare non rationem aliquam simpliciter & perfectè præcisam ab illis, sicut univocum: nec etiam proprias rationes eorum explicitè, sicut æquivocum; sed rationem aliquam secundum quid imperfectè præcisam ab eis, seu quod idem est, rationes ipsorum prout secundum quid & imperfectè conveniunt in aliquo, puta ens rationem substantiæ & accidentis prout aliqualiter conveniunt in ratione essendi, quod est importare seu significare rationes proprias hujusmodi analogatorum implicitè & in confuso. Constat hoc corollarium ex ipso discrimine inter univocum, æquivocum

quivocum & analogum, quod alias non salvaretur.

Habes 2. analoga analogata rectè definiri ea, *quorum nomen commune est, ratio vero per illud nomen significata simpliciter diversa, & secundum quid eadem.* Patet in eis exemplis de animali, medicina, & urina, comparatione sani: & de substantia & accidente respectu entis.

Adverte autem Analoga comprehensa esse ab Aristotele sub nomine æquivocorum quæ ab ipso definiuntur in communi, *Ea quorum nomen commune est, ratio verò nomini accommodata diversa*, & dividuntur communiter *in æquivoca à casu*, quæ dicuntur purè æquivoca, quorum scilicet ratio per nomen significata est omninò diversa, & de his in secunda conclusione; & *æquivoca à consilio*, quorum ratio est simpliciter diversa, secundum quid eadem & hæc sunt quæ speciali nomine dicuntur analoga, de quibus statim. *Illa dicuntur æquivoca à casu*, quia casu & temerè factum est in eis ut idem nomen plura significaret; *hæc à consilio*, quia in ipsis id factum est de industria attenta scilicet habitudine aut proportione vel similitudine unius significati cum altero.

Dico 4. *Denominativa dicuntur concreta accidentalia, quatenus denominantur talia à forma quam significant, & hujusmodi denominationem subjecto tribuunt.* e.g. Album est denomi-

una & eadem sanitas; diversam vero quoad habitudines ad ipsum, quibus ab eis respicitur, quæ sunt habitudines subjecti causæ, vel signi. *Dicitur autem hæc analogia Attributionis*, vel quia principale analogatum tribuit denominationem aliis analogatis minus præcipuis, medicina enim & urina denominantur sanæ à sanitate animalis, quod est principale analogatum: vel, quod in idem redit, quia minus principalia analogata dicuntur talia (puta sana per attributionem aut habitudinem ad primum à quo denominatio hujusmodi ad ipsa derivatur.

Analoga autem Proportionis vel Proportionalitatis dicuntur ea quorum nomen commune est, ratio vero significata per nomen est simpliciter diversa in illis, eadem vero secundum aliquam proportionem aut similitudinem. Cujusmodi sunt E. G. Cor, fons, & instans, in ratione principii conveniunt enim in hoc nomine *principium*; *cor* enim dicitur principium vitæ, *fons*, rivuli aut fluminis; *instans*, temporis: ratio per illud nomen significata est simpliciter diversa in illis, ut constat: alio enim & longe diverso modo cor principiat quàm fons, & alio fons quàm instans: sed tamen est eadem seu similis proportionaliter, quæ proportionalis & imperfecta similitudo aut identitas consistit in hoc quod sicut se habet ratio principiandi vitam in corde, ita aliquo modo ratio principiandi fluvium

vium in fonte, aut tempus vel horam in instanti. *Talia sunt etiam substantia & accidens in ratione entis*, quod licet sit analogum attributionis respectu ipsorum, quatenus significat rationem essendi simpliciter & propriè quam habet substantia ut subjectum aut quasi subjectum accidentia ut affectiones, effectus, aut signa ipsius (quod est illam esse eandem in eis secundùm terminum, diversam verò secundum huiusmodi habitudines subjecti, affectionis, aut signi, ad illum, ut de ratione sani dicebamus, & magis patebit ex dicendis:) *est tamen etiam analogum proportionalitatis comparatione eorundem*, quatenus significat rationem essendi qualemcunque, quæ est simpliciter diversa in eis, utpote quæ in substantia est ratio essendi per se; in accidenti vero ratio essendi in alio; proportionaliter forma similis, quatenus sicut se habet ratio essendi per se in illa, ita in accidenti ratio essendi in alio. Sic etiam dicendum de homine vero & de homine picto in ratione hominis, ita enim se habet homo pictus ad suam formam, ut verus ad suam: sic de risu prati (prata enim dicuntur ridere) & de risu hominis qui sicut testatur bene esse ipsius, ita amœnitas, quæ dicitur risus prati, testatur bene esse ipsius prati, atque ita conveniunt analogicè analogiâ proportionalitatis in ratione risus. *Sed advertendum, hujusmodi analogiam aliam esse proportionalitatis*

propria,

propria, quæ est quando ratio illa proportionaliter similis reperitur propriè in omnibus analogatis, ut ratio principii, & ratio entis in exemplis primo loco adductis: *aliam impropria*, quando propriè est in uno, in alio aut aliis impropriè & metaphoricè, ut in posterioribus exemplis de homine vero & picto, de risu prati & de risu hominis. *Ex quibus omnibus,*

Probata manet conclusio, duplicem scilicet esse analogiam in genere. Analogia enim ut sic est aliqualis convenientia multorum in aliqua ratione per nomen ipsis commune importata: ergo quot modis contingere potest ut sint idem aut conveniant aliqualiter in illa ratione, quæ simpliciter diversa est, totidē constituendæ erunt diversæ analogiæ: atqui duobus tantum modis, loquendo in genere, id contingere potest; primò ita ut ratio illa sit eadem solum secundum terminum, quatenus omnia denominantur per ordinem ad idem, in quo consistit ratio analogiæ attributionis; secundo ita ut sit eadem secundum aliquam similitudinem quam habet ratio propria unius analogati cum ratione propria alterius, quæ est analogia proportionalitatis, ut explicuimus: ergo. Dixi *in genere* quia possunt ulterius subdividi ut de analogia proportionalitatis vidimus. *Unde*

Inferes discrimen inter analogiam attributionis & proportionalitatis stare præcise in tribus illis

illis conditionibus à Caietano assignatis. Cajet. Opusc. de analogia nominum Prima, quod ratio significata per analogum attributionis *quà tale* sit uni tantum analogato intrinseca (quod ideo appellatur principale analogatum, unde & pro ipso stat analogum per se sumptum;) in aliis vero minus præcipuis fit tantum per extrinsecam denominationem, quod patet in exemplis illis de sano & de ente, sanitas enim Soli animali est intrinseca, sicut & soli substantiæ ratio essendi simpliciter & propriè, sub quâ significatione ens est analogum attributionis, ut vidimus; medicinæ vero aut urinæ & accidentibus sunt extrinsecæ rationes illæ & ab eis denominantur ut causæ signa, vel effectus, aut affectiones earum. *Ex qua prima conditione sequuntur alia dua*, nempe quod ratio illa per analogum attributionis significata *sit una & non multiplicata realiter in analogatis; & quod principale analogatum ponatur in definitione cæterorum: prior sequitur ex eo*, quòd ratio illa non reperiatur intrinsecè nisi in primo analogato, & ab illa una cætera extrinsecè denominentur, atque ita non debeat multiplicari ad multiplicationem illorum; *ex quo etiam sequitur ultima*, cum enim minus principalia analogata non suscipiant denominationem nisi per ordinem ad primum, consequens est ut non possint definiri qua talia nisi per ordinem ad illud: unde si definienda sit medicina

cina ut sana, dicetur esse causa sanitatis animalis; si urina, dicetur esse signum illius; & idem dic de accidente quod sub hac consideratione definitur Entis (id est substantiæ) ens, seu modus, affectio, passio, vel quid hujusmodi. *At vero conditiones analogiæ proportionalitatis sunt oppositæ*, ita ut ratio per analogum proportionalitatis importata intrinseca sit (vel propriè vel metaphoricè, respective juxta superius dicta de analogis proportionalitatis propriæ & impropriæ.) omnibus analogatis; atque adeo realiter multiplicata in illis, sicut ratio univoci, puta animalis, aut hominis, realiter multiplicatur in suis inferioribus, quæ est secunda conditio; & quod unum analogatum non definiatur per aliud, quæ est tertia.

Quod totum patet in ente prout significat rationem essendi qualemcunque, qua ratione est analogum proportionalitatis ut vidimus; ratio enim illa intrinsecè reperitur in substantia & in accidentibus: atque adeo non est una sed realiter distincta in illis, sicut & ipsa distinguuntur; & cum unumquodque illorum denominetur ab ea ratione sibi intrinseca, debet consequenter per illam absolute & sine ordine ad aliud definiri; licet quemadmodum ratio unius est proportionaliter ratio alterius aut ei aliqualiter similis, ita & definitio.

Dixi *quà tale*, quia ratio per illud, non ut est

est analogum attributionis, importata potest esse omnibus intrinseca; sicut è contra ratio significata per analogum proportionalitatis, non ut tale, potest non esse intrinseca omnibus; quod utrumque contingit in ente ut vidimus.

SECTIO I.

De Complexis & Incomplexis, nec non de duabus Regulis antepradicamentalibus.

PRIMUM ergo antepraedicamentum, seu ad categoriarum notitiam praecognoscendum, sunt univoca, aequivoca, analoga & denominativa, de quibus in superiori sectione.

Secundum, de quo hic primo loco agimus est *divisio entis in complexum & incomplexum*, quam his terminis tradit Philosophus. *Eorum qua dicuntur, alia cum complexione dicuntur*, ut homo albus, *alia sine complexione.* ut Homo, Sensus est: Rerum quae significantur nominibus, aliae sunt complexae, aliae incomplexae, id est, aliae concipiuntur pluribus conceptibus, & significanturque termino complexo, aliae concipiuntur uno conceptu & signifi-

significantur termino incomplexo. Hæc divisio separat ea quæ per se ponuntur in prædicamento ab iis, quæ non ponuntur nisi per partes: res enim incomplexæ, ut Homo, per se ponuntur, complexæ verò, ut homo albus, nonnisi per partes, siquidem homo seorsim collocatur in prædicamento, & albedo etiam seorsim in alio.

Tertium est una Regula quæ sic habet, Quando aliquid prædicatur (subaudi quidditativè) *de aliquo subjecto, quidquid prædicatur* (quidditativè) *de prædicato, prædicatur etiam* (quidditativè) *de subjecto.* Ut quia animal quidditativè prædicatur de homine, quicquid prædicatur quidditativè de animali, puta quòd sit vivens, corpus, substantia, prædicatur etiam quidditativè & essentialiter de homine. *Dixi* subaudiendum esse *Quidditativè*, cum hac enim restrictione habet rationem antepraedicamenti regula illa, ad coordinandam scilicet & dignoscendam prædicabilium seriem essentialem, quamvis vera sit etiã universaliter intellecta de omnibus prædicatis realibus & positivis; quod addo, quia de prædicatis rationis aut negativis non habet verum, quia variatur suppositio de simplici in realẽ: unde licet de natura humana v. g. prædicetur quòd sit species, quòd sit æterna aut ubique negativè, non tamen de Petro.

Quartum est alia Regula, quæ his terminis exprimitur: Diversorum generum & non sub-

alternatim positorum diversa sunt specie differentia, subalternatim verò positorum nihil prohibet easdem differentias esse. Explicatur, Genera subalternatim posita dicuntur ea, quorum unum sub altero continetur, ut sunt substantia, corpus, vivens & animal: corpus enim ponitur sub substantia, vivens sub corpore &c. E converso non subalternatim sunt ea quorum unum sub altero non collocatur, ut animal & planta. Sensus ergo est quod quamvis genera quæ prædictam inter se habent subordinationem, possint per easdem differentias, mediatè, vel immediatè contrahi. (Vivens enim v. g. contrahitur immediatè, per sensitivum, corpus verò mediatè, unde æque potest definiri animal, dicendo quod sit substantia sensitiva, vel corpus sensitivum, ac dicendo ipsum esse vivens sensitivum,) illa tamen quæ hoc modo inter se non subalternantur, quamvis subordinentur uni tertio, sicut animal & planta viventi, non possunt contrahi per easdem differentias essentiales. *Ratio est*, tùm quia diversis essentialiter potentiis diversi debent actus essentiales correspondere, cùm ab eis sumatur diversitas illa potentiarum: atqui duo genera, quorum unum non continetur sub alia, sunt diversæ essentialiter potentiæ metaphysicæ. actus verò ipsis correspondentes sunt differentiæ ipsæ essentiales: ergo. Tùm quia si duo genera disparata contraherentur per

eandem

eandem differentiam essentialem, jam una & eadem species, quę per talem differentiam constitueretur, poneretur sub diversis generibus, quod est absurdum.

Dixi, non posse diversa genera non subalternata contrahi per easdem differentias essentiales: nihil obstat quominus habere possint easdem differentias accidentales, ut patet in animali gressibili & volatili, quæ sunt duo genera subalternata animali ut sic, sed non inter se, utrumque autem dividitur per bipes & quadrupes tanquam per differentias accidentales.

SECTIO III.

De Divisione Entis in decem Prædicamenta.

VLTIMUM Antepraedicamentum est divisio entis incomplexi in decem suprema genera, sub quibus omnia continentur. *Ens enim incomplexum* aliud est *Substantia*, ut Homo: *aliud Quantitas*, ut Linea, aliud *Qualitas*, ut Albedo: aliud *Relatio*, ut Paternitas, aliud *Vbi*, ut Sursum: aliud *Quando*, ut Heri: aliud *Situs*, ut Sessio: aliud *Habere* seu *Habitus*, ut

tus, ut Vestitum esse aliud Actio, ut calefacere, aliud passio, ut Calefieri.

Circa hanc divisionem plura supponenda sunt ex Metaphysica quæ hic examinari non possunt.

Primum est ens universalissimè & latissimè sumptum dividi primò in ens reale & ens rationis, ens reale in creatum & increatum, qui est solus Deus O. M. Ens reale creatum in substantiam, quæ constituit unum prædicamentum, & accidens quod subdividitur in novem genera accidentium, & sic habetur denarius numerus prædicamentorum, qui magis innititur communi sensui Philosophorum, quàm alicui firmæ rationi.

Potest tamen suaderi advertendo, quod alias jam innuimus, aliunde peti numerum prædicabilium & prædicamentorum. Cùm enim universale seu prædicabile sit Unum aptum inesse multis & prædicari de illis tanquam de suis inferioribus, numerus prædicabilium sumitur ex diverso modo essendi in propriis inferioribus & prædicandi de illis: unde quia quinque tantum modis potest aliquid esse in suis inferioribus, nempe vel tanquam pars essentialis potentialis, vel tanquam pars essentialis actualis, vel tanquam essentia completa ex illis partibus coalescens, vel ut accidens necessarium, vel ut accidens purè contingens, inde fit quòd quinque tantum sunt

præ-

prædicabilia. At verò prædicamenta sunt diversæ series aut coordinationes generum & specierum inter se subordinatorum, diversis modis de prima substantia prædicabilium, ita quòd diversitas illa prædicamentorum ex diverso modo prædicandi, non de propriis inferioribus, sed de eadem prima substantia, desumatur: hujusmodi autem coordinationes diversimodè de prima substantia prædicabilium decem esse possunt nec plures nec pauciores, *quod sic ostendo*, quidquid enim prædicatur de Petro aut de quavis alia substantia prima & singulari, vel est de ejus essentia, vel extra essentiam: si sit essentiale, ut cùm dico, Petrus est homo, animal, vivens, corpus, substantia, constituitur categoria substantiæ: si verò est extra essentiam ejus, vel est prædicatum purè absolutum, vel purè relativum, vel medio modo se habens, id est, absolutum, connotans tamen aliquid extrinsecum. Si sit purè absolutum, aut convenit ipsi ratione materiæ, & illud est quantitas: aut ratione formæ, & est qualitas: si purè relativum, est ipsa relatio: si verò absolutum, connotans tamen aliquid extrinsecum, vel connotat illud ut principium activum à quo emanat, & est actio; vel ut principium passivum in quo recipitur, & est passio, vel ut mensuram magnitudinis ambientem & mensurantem molem ipsius corpoream, sive

absolutè sumptam, & est ubi, sive spectatam cum debito ordine partium, & est situs; vel ut mensuram durationis, & est quando; vel denique ut ornamentum & tegumentum corporis, & est habitus: (quæ mensura magnitudinis est locus; durationis, tempus; ornamentorum & tegumentorum, vestes aut arma:) nullus autem alius modus essendi in prima substantia aut prædicandi de illa videtur excogitari posse, ergo decem erunt nec plures nec pauciores hujusmodi prædicabilium coordinationes, atque adeo decem prædicamenta, subindeque prædicta divisio entis creati adæquata.

Secundum ex Metaphysica supponendum est præfatas divisiones entis non esse univocas sed analogas, ita ut non solum ens communissimè sumptum sit analogum respectu entis realis & entis rationis, ens reale respectu creati & increati, seu Dei & Creaturarum, sed etiam ens creatum respectu substantiæ & accidentis, & accidens respectu novem prædicamentorum. Si enim ens creatum esset univocum respectu substantiæ & accidentium, jam esset genus respectu illorum, & sic non essent decem suprema genera, nec subinde decem prædicamenta, seu unicum, nempe ens: & similiter si accidens esset univocum ad novem genera accidentium, esset quoque genus comparatione illorum. & sic duo tantum darentur ad summum prædicamenta: nem-

ta: nempe substantia & accidens: hæc autem quamvis à nonnullis admissa fuerint; sunt tamen contra torrentem philosophorum communi consensu admittentium decem suprema genera. Fundamentum autem & rationes cur ens non sit univocum sed analogum, ponemus in Metaphysica.

§. Unicus.

Quænam ponantur in Prædicamento & quomodo.

SI verum sit id, quod superius supposuimus, videlicet Ens quod immediatè dividitur in decem prædicamenta, non esse ens latissimè sumptum, prout ambit ens reale & ens rationis; nec etiam ens reale in tota sua latitudine prout complectitur creatum & increatum, sed duntaxat ens reale creatum, *manifestum relinquitur primò ens rationis non poni in aliquo prædicamento*; quod enim non continetur sub diviso, nequit collocari sub aliquo membrorum dividentium; si ergo divisum in proposito sit ens reale creatum, ens rationis quod non continetur sub illo non continebitur etiam sub ullo prædicamentorum ipsum dividentium. Non nego quidem absolutè entia rationis posse collocari in prædicamento, seu in illis posse seriem prædicamentalem coordinari, præsertim in se-

cundis intentionibus, nam sub relatione rationis, ut sic, collocatur secunda intentio tanquam sub genere supremo, sub secunda intentione universalitas, verb. grat. sub universalitate genereitas, quæ est species infima, sub genereitate hæc genereitas tanquam ejus individuum: sed intendo duntaxat non collocari entia rationis sub aliquo ex decem assignatis prædicamentis quæ realia sunt.

Relinquitur secundò Deum non poni in prædicamento: quia etiam non continetur sub ente illo quod dividitur in decem prædicamenta.

Verùm ne ea quæ probanda sunt, supponamus, ex ipsamet definitione prædicamenti habere possumus quænam sub aliquo ex decem enumeratis collocentur: *Advertendo dupliciter posse aliquid poni in prædicamento, directè, scilicet & indirectè, directè ea collocantur quæ in recta linea sub supremo genere ponuntur, indirectè verò illa quæ ad latus,* & de quibus supremum genus non prædicatur, sunt tamen aliquid pertinens vel tanquam partes, vel aliquo alio modo, ad ea de quibus enuntiatur.

Prædicamentum ergo, ut ex dictis colligitur, *est series seu coordinatio prædicabilium de aliquo, superiorum & inferiorum, sub uno supremo genere.* Ex qua definitione inferuntur tres conditiones necessariæ ut aliquid directè in prædicamento collocetur.

Prima

Prima est ut contineatur sub aliquo ex decem generibus supremis: ad quod necesse est *primò*, quòd sit ens reale: de ente enim rationis nullum supremum genus ex assignatis potest simpliciter enuntiari, cùm non possit dici absolutè & sine addito, Chimæra est substantia, sed tantum addendo, ficta; nec similiter, Universalitas est relatio, sed cum addito, rationis, & sic de aliis: & ratio est quia ens rationis non est simpliciter ens, atque adeò nec simpliciter relatio aut quid simile ex decem generibus. Necesse est præterea quòd sit ens reale creatum & finitum, ens enim increatum & infinitum cùm sit actus purissimus non includit aliquid potentiale, atque adeò nec continetur sub ullo genere quod potentialissimum est, nec illud includit, de quo plura in prædicamento substantiæ.

Secundu est, quòd sit Universale seu Prædicabile: ad quod etiam requiritur quòd sit finitum, & quod sit incomplexum: quòd sit univocum, quòd sit ens per se & completum: ens enim infinitum seu Deus nequit habere rationem universalis, nedùm quia essentialissimè est singularis, sed etiam quia nequit concipi ut quid potentiale, ut dictum est, nec subinde ut prædicabile de pluribus, quæ sint plura in nomine & ratione Dei, quod ad rationem universalis requiritur, ut patet in Platone & Socrate v.g. qui sunt plures in nomine & ratione hominis, at verò Pater, Filius

& Spiritus sanctus licet sint plures in ratione personæ, non tamen in ratione Dei, nec dicuntur tres Dii, sicut Plato & Socrates dicuntur duo homines, sed solùm tres personæ Divinæ. *Complexa etiam, æquivoca, analoga, entia per accidens; excluduntur à ratione universalis, atque adeo & à prædicamentis*, defectu unitatis aut in modo significandi vel concipiendi, aut in re ipsa significata. *Excluduntur etiam partes & entia incompleta*, universale enim habet rationem totius potentialis.


Tertia denique, quod sit universale aut prædicabile, non qualecunque, sed essentialem habens coordinationem & seriem cum aliis per modum superioris aut inferioris: ad quod necesse est quòd sit genus aut species, neque enim differentiæ talem habent coordinationem, sive inter se, sive cum generibus aut speciebus, ut constat, & multò minùs proprium aut accidens.

Unde tandem fit in linea recta prædicamentali *sola genera & species collocari, & individuum tanquam basim & fundamentum, differentias verò proprium & accidens solum indirectè*, quod idem dicendum est de omnibus aliis, quæ pertinent quomodocunque ad entia directè collocata vel tanquam partes illorum, vel alio quovis modo. Adverto autem me locutum fuisse de proprio & accidente in concreto sumptis, qua ratione constituunt quartum & quintum prædicabile: nam si suman-

sumantur in abstracto, ponuntur in linea recta suorum prædicamentorum, cùm ut sic possint habere rationem generum & specierum respectu suorum inferiorum.

Ut autem quilibet sibi formare valeat seriem prædicabilium in quolibet prædicamento, lubet exemplum subjicere in prædicamento substantiæ, apponendo hic *Arborem Porphyrii* communiter appellatam, quia Auctor ille in Capite de specie primus omnium seriem hanc prædicabilium substantialium sic in modum Arboris coordinavit, oculisve subjecit.




Genus Supremum.
differentiæ propriæ
differentiæ impropriæ
ſubst: antia.
diuiſiua.
diuiſiua
corpora
incorpo: rea
conſtitutiua
repugnans.
Corp.
diuiſiua.
diuiſiua.
anima: tum
inani: matum
conſtitutiua
repugnans
Viuens
diuiſiua
diuiſiua.
ſenſibile
inſen: ſibile
conſtitutiua
repugnans
Animal.
diuiſiua.
diuiſiua.
rationale
irratio: nale.
conſtitutiua
repugnans.
Homo.
Hic homo Petrus.

In qua figura considerandi sunt inprimis circuli, qui ponuntur in medio, deinde qui ad utrumque latus.

In circulis mediis ponuntur genera & species quæ directè pertinent ad prædicamentum. In supremo quidem circulo ponitur substantia ut genus generalissimum, quod nullum aliud supra se agnoscit genus; ens enim quod de illa & de aliis prædicamentis enunciatur, cum sit analogum, non habet rationem generis respectu illorum. Sub substantia immediatè collocatur corpus, sub quo (si omnia genera] in hac serie coordinabilia adducerentur) immediatè poni deberet generabile; corpus enim dividi debet in alterabile, & inalterabile, sicq; ex corpore tanquā gradu generico & ex alterabili tanquā gradu differentiali coalescit generabile; sub quo rursus collocandum esset mixtum tanquam genus superius ad vivens: etenim generabile dividitur per simplex & compositum tanquā per differentias essentiales, unde ex gradu generico generabilis, & ex gradu differētiali compositi resultat mixtum, quod dividitur immediatè in animatum & inanimatum, atq; ex ratione mixti & animati cōsurgit vivens. Verùm quia hanc seriem prędicamenti substantię in exemplum duntaxat adduxit *Porphyrius*, ideò non curavit in ea ita exactè collocare omnia genera, sed corpus quod immediatè dividendum foret per alterabile


rabile & inalterabile, divisit per differentias mediatas, nempe animatum & inanimatum. Sub vivente verò collocatur animal, quod licet per ordinem ad brutum sit tantũ genus subalternum (nam brutum in plures species subdividitur, imo & in plura genera inferiora; evidens enim est magis differre animalia volatilia à terrestribus & aquatilibus, quàm differant inter se, atque adeò plus quàm specie, subindeque si texeretur series prædicamentalis equi v. g. deberet sub animali collocari brutum, & sub bruto alius adhuc gradus genericus innominatus communis omnibus brutis terrestribus, & sub illo equus) licet inquam per ordinem ad brutum ita se habeat, in ordine tamen ad hominem est genus infimum, siquidem homo non dividitur ulterius in diversas species. Unde tandem in infimo circulo figuræ adductæ immediatè sub animali collocatur homo tanquam species specialissima seu infima, in quo differt à gradibus superioribus qui sunt species comparatione illorum quos supra se habent, & genera comparatione inferiorum :- homo autem ita est species ut non sit genus. Individuum verò ponitur non tanquam pars intrinseca prædicamenti (prædicamentũ enim est series prædicabilium) sed tanquam basis cui cætera innituntur, ut tota arbor radici.

Ad latus verò dextrum ponuntur differentiæ propriè dictæ & positivæ, quæ simul

divi-

dividunt gradum superiorem & constituunt inferiorem.

Ad latus denique sinistrum collocantur differentiæ impropriæ & negativæ, vice differentiarum positivarum quas ignoramus. Neque enim imaginandum est incorporeũ, inanimatum, insensitivum, irrationale, & similia, esse peculiares differentias constitutivas rerum (unaquæque enim res per differentiam positivam constitui debet) sed sunt quædam negationes illis annexæ: differentia enim constitutiva Angeli incorporea esse debet, similiter differentia positiva constitutiva lapidis debet esse inanimata, & sic de aliis. Unde cum nos hujusmodi differentias proprias & positivas ignoremus, designamus eas per negationes ei annexas. Hæc de Antepraedicamentis.



DISPUTATIO I.

De Prædicamento Substantiæ.

ABsolutis quæ ad Prædicamentorum notitiam & explicationem prærequirebantur, incipimus jam de singulis tractare & primo de substantia de qua sit.

SECTIO I.

Quid sit substantia, & qualis eius divisio in primam & secundam.

Substantia, quæ suam etymologiam ducit tum à subsistendo per se, tum à substando aliis nempe accidentibus, *dupliciter, quãtum ad propositum spectat, sumi potest. Primò latissimè*, prout distinguitur ab accidente, & ambit illud omne, quod non est in alio tanquam in subjecto inhæsionis, & collocatur sive directè, sive indirectè in hoc primo prædicamento: & hoc modo sumpta substantia definiri debet. *Ens per se subsistens abstrahendo ab eo quod subsistat completè vel incompletè*; qua ratione materia, forma, differentiæ substantiales imo ipsi modi substantiales, puta, subsistentia & existentia, & similia dicuntur substantiæ. *Secundò sumi potest magis strictè & propriè pro substantia completa & directè posita in linea prædicamentali, juxta quam acceptionem.*

Dico 1. *Substantia prædicamentalis, seu directè collocata in prædicamento, rectè definitur. Ens per se completè subsistens.*

Expli-

Explicatur: dicitur imprimis *Ens*, in quo analogicè convenit substantia cum accidente: *dicitur per se subsistens*, in quo differt ab illo, accidens enim est ens in alio, id est inhærens substantiæ, non verò subsistens per se: additur denique *completè*, per quod substantia completa & directè in prædicamento collocata secernitur ab incompleta, & indirectè solum in eodem posita.

Objicies: Humanitas Christi est substantia: atqui illa non est ens per se subsistens: ergo substantia non rectè definitur Ens per se subsistens. *Probatur minor*: Humanitas Christi subsistit in Verbo Divino, seu per substantiam & personalitatem illius: ergo non subsistit per se.

Respondeo concessa majori negando minorem: ad probationem minoris concesso antecedente nego consequentiam: ut enim aliquid dicatur subsistere per se, sufficit quod non sit in alio tanquam in subjecto inhæsionis, quod est proprium accidentis quamvis sit in alio tanquam in supposito gerente vices proprii: humanitas autem Christi hoc secundo modo duntaxat est in Verbo Divino, scilicet tanquam in supposito: seu subsistit per personalitatem Verbi gerentem vices propriæ, quam debebat habere in primo instanti suæ cōceptionis in utero Beatissimæ Virginis, sed fuit miraculosè impedita & loco ejus fuit substituta personalitas Verbi. Addo quod quam-

vis

vis ex ſuppoſitione Humanitas Chriſti actu non ſubſiſteret ulla ſubſiſtentia, adhuc tamẽ illi competeret definitio tradita, quia de ratione ſubſtantiæ creatæ non eſt per ſe ſubſiſtere actu, ſed tantum in aptitudine.

Vnde Adverte in præfata definitione ly *per ſe ſubſiſtens poſſe dupliciter ſumi. Primò participialiter*, qua ratione ſignificat ſubſiſtentiam actualem & exercitam: *ſecundò nominaliter*, prout ſignificat ſubſiſtentiam in actu ſignato ſeu aptitudinalem; & hoc poſteriori modo accipi debet in definitione ſubſtantiæ prædicamentalis ly *per ſe ſubſiſtẽs* Sicut enim de eſſentia accidentis non eſt actualiter inhærere ſubjecto: ſed tantùm aptitudinaliter, ut patet in quantitate, & aliis accidentibus Euchariſticis, quæ ibi ſervant totam ſuam eſſentiam, nec tamen ulli ſubjecto actu inhærent, cùm deſtructa fuerit ſubſtantia panis quę erat illorum ſubjectum: ita de eſſentia ſubſtantiæ prædicamentalis non eſt actualiter per ſe ſubſiſtere, ſed tantum aptitudinaliter, id eſt, habere exigentiam & aptitudinem ut per ſe ſubſiſtat. Soli enim ſubſtantiæ Divinæ eſſentiale eſt actu ſubſiſtere & exiſtere: unde Deus, ſeu ſubſtantia prout dicitur de Deo eſt ens per ſe ſubſiſtens participialiter, ſubſtantia verò creata nominaliter duntaxat.

Dico 2. Subſtantia prædicamentalis aut directè in prædicamento collocata rectè dividitur in primam & ſecundam. *Proba-*

Probatur: Substantia prima idem est ac substantia particularis, Substantia secunda idem ac substantia universalis: atqui substantia directè in prædicamento collocata alia est particularis, nempe ipsa individua quæ ponuntur tanquam basis lineæ prædicamentalis, alia verò est universalis, nempe omnes gradus superiores, ut homo, animal, vivens corpus, substantia: ergò illa divisio est bona & adæquata. Unde Aristoteles definiens substantias secundas *dixit esse genera & species, subindeq; voluit substantias primas esse individua.*

Dico 3. divisionem substantiæ in primam & secundam esse divisionem subjecti in accidentia.

Probatur: Nam dividere substantiam in primam & secundam, est dividere illam in particularem & universalem, ut diximus conclusione præcedenti: atqui divisio substantiæ in universalem & particularem est divisio subjecti in accidentia, universalitas siquidem & particularitas accidentaliter adveniunt substantiæ secundum se consideratæ, ut est ens per se subsistens completè, adveniunt, inquam, illi media operatione intellectus concipientis illam, vel ut communem & universalem, vel ut particularem: ergo &c. Unde illa divisio, substantia alia est universalis, alia particularis, similis est huic, Homo alius est albus, alius niger: nisi quod universalitas & particularitas sunt accidentia ratio-

rationis & secundæ intentiones; albedo autem & nigredo sunt accidentia realia.

Objicies contra secundam conclusionem, In bona divisione unum membrum non debet includere aliud: atqui substantia prima includit secundam: ergo non est bona illa divisio. *Probatur minor* subjectum includit prædicatum: atqui substantia secunda prædicatur de prima, ut cum dico, Petrus est animal, est vivens, est corpus, est substantia, ergo substantia prima includit secundam.

Respondeo unum membrum non debere includere aliud formaliter, posse tamen includere illud materialiter: nego autem quod secunda substantia includatur in prima formaliter, & quod de illa formaliter prædicetur; neque enim verum est dicere, Petrus est substantia secunda, seu universalis, sed tantùm materialiter, id est illud quod denominatur substantia secunda, scilicet animal, vivens, & hujusmodi prædicatur de prima.

Dices, saltem divisum in præfata divisione coincidit cum uno membro dividenti ergo erit vitiosa. *Probatur antecedens*, nam alterum membrum dividens est substantia secunda: atqui illud quod dividitur in primã & secundam substantiam est ipsa substantia secunda: ergò. *Probatur minor*, illud quod dividitur est substantia in communi: atqui substantia in communi est ipsa substantia secunda: ergo, &c.

Respon-

Respondeo negando antecedens: ad probationem nego minorem. Ad probationem minoris distinguo majorem. Divisum est substantia *in communi negativè*, id est, prout abstrahit à prima & secunda, seu ab universali & particulari, quatenus præcisè est ens per se subsistens, *concedo, est substantia in communi, positivè*, quatenus idem est ac substantia universalis, *nego.*

SECTIO II.

Quanam in Prædicamento Substantiæ collocentur.

EX doctrina generali pro omnibus prædicamentis, *disput. super sect.* 3 §. *unic. tradita*, facilè haberi potest resolutio difficultatis circa istud agitari solitæ, *an videlicet nedum omnes substantiæ creatæ, in quibus intellectus noster seriem illam generum & specierum quæ de ipsis enunciantur, distinguit, sed etiam Deus ipse & Christus Dominus sub illo collocentur*. Unde breviter.

Dico 1. *Deum nec directè nec indirectè in prædicamento substantiæ collocari.*

Probatur, Quod non constat genere & differentia non ponitur directè in prædicamento

camento: sed Deus non constat genere & differentia, ergo *Major est evidens*, illud enim solùm dicitur poni in linea recta prædicamenti, de quo gradus generici & specifici superiores enunciantur, subindeque quod hujusmodi gradus, atque ita compositionem ex genere & differentia in se includit. *Minor verò probatur*, quod constat genere & differentia, componitur ex actu & potentia. genus enim est gradus potentialis, & differentia gradus actualis, sed Deus non componitur hoc modo: *Probatur minor*, quia Deus est actus purissimus & simplicissimus: ergo omnem omninò potentialitatem omnemq; compositionem excludens.

Respondebis, excludere omnem potentialitatem & compositionem realem, non verò rationis, qualis est compositio ex genere & differentia.

Sed contra primò, quia debet concipi ut actus purissimus & simplicissimus, aliàs non concipitur ut Deus, sed ut quid aliud quod sibi fingit intellectus, ergò debet etiam per intellectum, & rationem excludere omnem omninò potentialitatem & compositionem & non solùm à parte rei. *Secundò*, quia sicut distinctio rationis ratiocinatæ debet fundari in aliqua distinctione reali, ita compositio in aliqua reali compositione, in hoc enim differunt à compositione & distinctione rationis ratiocinàntis; quæ dicitur illa, quæ fingi-

fingitur sine fundamento in ulla compositione aut distinctione quæ sit à parte rei: sed compositio ex genere & differentia est compositio rationis ratiocinatæ, cùm sit secunda intentio quæ habet fundamentum in re, ergo ubicunque formatur ab intellectu, debet fundari in aliqua reali compositione, ut etiam patet inductione, nam in rebus materialibus fundatur in compositione physica ex materia & forma, ex quibus ut aliàs diximus, sumuntur radicaliter genus & differentia, in spiritualibus, ac generaliter in omnibus, in compositione metaphyca ex esse & essentia: sed in Deo nulla est talis cōpositio realis, ergò nec rationis ex genere & differentia. *Nec obstat si dicas admitti ab omnibus distinctionem rationis ratiocinatæ in Deo inter attributa*, nam revera illa fundatur in aliqua distinctione reali, nempe effectuum ad extra productorum & connotatorum, penes quos attributa distinguimus: at verò cum ratio generica & differentialis sint absolutæ, & non connotent aliquid ad extra, maximè in substantiis, ut rationes illas aut gradus in Deo distingueremus, deberet pro fundamento supponi in ipso absolutè aliqua realis distinctio & compositio.

Confirmatur primò: nam fundamentum & ratio distinguendi in creaturis diversos gradus, sunt diversæ realiter perfectiones quæ ab illis gradibus dimanant, puta à

gradu

gradu substantiæ, ipsa subsistentia aut existentia per se, à gradu corporis quantitas aut formalis extensio, à gradu viventis vegetatio, à gradu animalis sensatio, & sic de aliis, atqui in Deo non datur diversæ realiter perfectiones a diversis gradibus dimanantes, ergo nullum est in eo fundamentum distinguendi & præscindendi eos.

Confirmatur Secundò, si in Deo conciperetur aliqua compositio ex genere & differentia, maximè ex ratione substantiæ in qua conveniret cum aliis, & ex ratione infinitatis per quam differret: sed hæc non: ergo. *Probatur minor*, quia gradus genericus propriè dictus debet esse perfectè præcisus à differentiali, sed ratio substantiæ in Deo non potest perfectè præscindi ab infinitate, seu perfectè cognosci sine illa, siquidem quidquid concipitur in Deo debet concipi ut infinitum: ergo.

Secunda verò pars conclusionis manifesta est, illud enim dicitur poni in prædicamento indirectè seu reductivè, quod quodammodo pertinet ad constitutionem ejus quod directè in eo collocatur, sive tanquam pars ejus, sive ut differentia, sive alio quovis modo: atqui Deus nullo prorsus modo pertinet ad constitutionem intrinsecam substantiæ creatæ, quæ sola in hoc prædicamento directè collocatur ut ex prima conclusionis parte probatum manet: ergo Deus non ponitur etiam

etiam reductivè in hoc prædicamento, sed est supra omnia prædicamenta, utpote causa & principium effectivum, finale & exemplar illorum omnium.

Obiicies Illud ponitur directè in prædicamento cui convenit definitio substantiæ prædicamentalis: atqui definitio illa convenit Deo: ergo. *Probatur minor*: substantia prædicamentalis definitur ens per se completè subsistens: sed Deus est ens &c. ergo.

Respondeo negando minorem: ad probationem distinguo majorem: Substantia prædicamentalis est ens per se subsistens, *nominaliter, seu quod idem est, aptitudinaliter*, concedo: *participialiter*, id est, *actualiter*, nego: sola enim aptitudo ad subsistendum, & non actualis subsistentia est de essentia substantiæ prædicamentalis, alias non esset gradus potentialis, nec subinde genericus. Similiter, *distinguo minorem*: Deus est ens per se subsistens, *participialiter*, concedo: *nominaliter seu aptitudinaliter duntaxat*, nego: *unde & nego consequentiam*. Vide dicta de hac distinctione sect. superiori.

Dico 2. Christus tamen Dominus directè in hoc prædicamento collocatur, tanquam homo aut naturæ humanæ individuum.

Probatur: quia ut homo est ejusdem rationis & naturæ cum aliis: ergo sicut alii ponuntur ita ipse.

Objicies 1. Christus est Deus: ergo si Christus

ſtus ponitur in prædicamento, etiam Deus ponitur, quod negavimus.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, ſi poneretur ratione perſonæ, concedo: *ſi ratione naturæ aſſumptæ,* nego.

Dices; ergo non debet concedi abſolute Chriſtum poni in prædicamento, ſed ſolùm cum addito, *ratione naturæ aſſumptæ.*

Reſpondeo id negando: quia de ſe facit hunc ſenſum illa propoſitio, nam poni in prædicamento appellat ſupra ipſam naturam aſſumptã *juxta dicta in parva Logica par.* 1. *ſect.* 2. *ſub fin. vide ibi.* Unde ſi arguatur ſic: Chriſtus ponitur in prædicamento, ſed Chriſtus eſt Deus, ergo Deus ponitur in prædicamento: conceſſis præmiſſis abſque diſtinctione ſi velis neganda eſt conſequentia, quia variatur appellatio de formali in materialem, nã ly poni in prædicamento appellat in majori ſupra formale Chriſti, id eſt, ſupra humanitatem, & in concluſione ſupra materiale, id eſt, ſupra perſonam & ipſum Deum in ſe.

Objicies 2. Chriſtus eſt ens per accidens; ergo non ponitur directè in prædicamento, juxta eâ quæ ſuprà diximus de cõditionibus in ente prædicamentali requiſitis. *Antecedens probatur*: quod conſtat pluribus naturis cõpletis eſt ens per accidens: atqui Chriſtus conſtat duabus naturis completis, nẽpe Divinâ & humanâ: ergo eſt ens per accidens.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem

nem distinguo majorem: si illæ naturæ habeant *qualibet suum esse & suam subsistentiam*, concedo: si *subsistant per eandem subsistentiam idemque esse*, nego: natura autem humana quæ est in Christo, non habet suam subsistentiam & existentiam propriam, sed subsistit per verbi personalitatem, Divinæque naturæ existentiam.

SECTIO III.

De Proprietatibus substantiæ.

DUPLICIS *generis sunt proprietates*, ut aliàs de accidentibus diximus: *aliæ enim sunt physicæ aut prædicamentales*, quæ sunt ipsa accidentia propria ab essentia realiter dimanantia, subindéque realiter distincta ab ipsa, & ad specialia prædicamenta spectantia, ut risibilitas: *aliæ verò Logicæ & attributales seu prædicabiles*, quæ sunt prædicata quædam quæ quidem non sunt de essentia rei, ipsi tamen sunt propria, & ab ea non realiter sed virtualiter censentur dimanare & distingui, cujusmodi sunt unum, verum, bonũ respectu entis ut in Metaphysica docebimus, sunt enim quædã prædicata aut modi vel formalitates quæ ex ipsa ratione entis dicuntur dimanare tanquam à causa

 virtuali

virtuali aut ratione à priori, quatenus ita se habent respectu illius ut si causam aliquam haberent in rebus à qua realiter deberent dimanare, illa non alia esset quàm ratio entis. Hoc posito non inquirimus hic de proprietatibus physicis consequentibus gradū substantiæ ut sic, quæ non sunt aliæ quàm ipsa subsistentia & existentia per se, sed de attributalibus & logicis, inter quas hæ sunt scitu digniores.

Prima est, quòd substantia non sit in subjecto. Quæ proprietas convenit tam primæ quàm secundæ substantiæ, neutra enim esse potest in subjecto inhæsionis, de quo hic loquimur, siquidem in hoc differt substantia ut sic ab accidente: quamvis secundæ substantiæ sint in prima tanquam in subjecto prædicationis, quādoquidem gradus superiores substantia, corpus, vivens, & alii qui secūdæ substantiæ appellantur, de individuis quæ sunt & dicuntur substantiæ primæ, enunciantur.

Secunda est, quòd substantia non habeat contrarium, intellige, propriè dictum. Ratio est, quia contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distāt, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt, ut calor & frigus ab aqua: substantia autem nō est in subjecto ut ab eo expelli queat, sed per se subsistit: ergo non potest dici propriè habere contrarium, sed impropriè quatenus una destruit aliam ut aqua

ignem

ignem, mediis qualitatibus quæ solæ sunt propriè contrariæ, ut suo loco dicemus.

Tertia proprietas substantiæ est, quod non suscipiat magis & minùs. Cujus sensus non est quod una substantia non possit esse nobilior & perfectior altera ejusdem speciei, ut enim in libris de anima ostendetur, anima unius hominis potest esse individualiter perfectior etiam in substantia quàm anima alterius: sed quod una & eadem non possit esse modo magis modo minus perfecta substantialiter. *Ratio est* quia perfectio substantialis, quæ sita est in hoc quod est per se subsistere, consistit in indivisibili. De quo in libris de generatione dum de intensione qualitatum.

Quarta denique proprietas est, quod substantia sit subjectum contrariorum, intellige subjectum quod *seu ultimatum*: nam esse subjectum *quo*, hoc est,id quo mediante accidentia contraria recipiuntur in substantia, puta albedo & nigredo in pariete,convenit quantitati, nisi enim paries esset extensus beneficio quantitatis,denigrari non posset aut dealbari: Substantia ergo est subjectum *quod*, id est,id in quo ultimatè recipiuntur contraria. Et hæc proprietas sicut & prima convenit substantiæ quarto modo, secus aliæ quæ competunt etiam aliis à substantia, ut suis locis constabit.



DISPUTATIO VI.

De Prædicamento Quantitatis.

SECTIO I.

Quid sit Quantitas, seu in quo Ratio ejus essentialis consistat.

MUlta sunt in quantitate, de quibus controverti potest in quonam illorum sita sit ejus essentia aut formalis ratio.

Primum est, extensio partium in se, seu in ordine ad ipsum totum quantum; quæ consistit in hoc quod est habere partes extra partes quoad distinctionem earum inter se, etiamsi una non sit extra aliam quoad locum. Et hac extensione gaudet quantitas corporis Christi sub speciebus etiam Eucharisticis, nam ibi etiam una pars ejus distinguitur procul dubio realiter ab alia, puta caput à scapulis, scapulæ à brachiis, &c. quamvis non occupent diversum locum, imò nullum; corpus enim Christi non localiter, sed sacramentaliter hoc est modo

modo quodam indivisibili & ineffabili ponitur totum sub totis speciebus aut accidentibus panis & vini, & totum sub qualibet vel minima particula illarum.

Secundum est, extensio partium in loco, seu in ordine ad spatium; quæ consistit in eo quod una pars non solùm sit extra aliam quoad suam entitatem, sed etiam quoad spatium seu locum, ita ut una sit extra locum alterius: qualis extensio reperitur in corpore Christi Domini prout est in cœlo, & in nobis, ac omnibus aliis rebus naturalibus.

Tertium est impenetrabilitas, quæ nihil aliud est quàm repugnantia quam habet una quantitas seu unum corpus quantitate affectum & localiter extensum, ut penetretur ab alio & sit in eodem loco aut spatio cum illo.

Quartum est divisibilitas, id est, aptitudo quam habet quantitas ut dividatur in suas partes.

Quintum est ratio mensuræ, quæ consistit in hoc quod per quantitatem cognoscere possumus magnitudinem aut parvitatem rerum. Ubi adverte Quantitatem esse mensuram intrinsecam subjecti cui inest, quatenus deservit ad dignoscendam ejus magnitudinem; & extrinsecam respectu aliarum rerũ, quatenus ea utimur ad res alias mensurandas, putà ulnâ ad mensurandum pannum ejusque quantitatem cognoscendam: unde mensura communiter definitur id, *quo quantitas rei, id est,*

ejus

ejus magnitudo aut parvitas dignoscitur. His positis.

Dico propriam & essentialem rationem quantitatis sitam esse in extensione partium in seipsa, seu in toto; cætera verò, nempe extensionem localem illarum partium, impenetrabilitatem, divisibilitatem, & rationem mensuræ, esse tantùm proprietates ejus.

Probatur: Essentia cujusque rei est id, quod concipitur primum in illa, cætera verò quæ ex illo consequuntur sunt tantùm ejus affectiones & proprietates: atqui in quãtitate primùm omnium, & veluti radix cæterorum concipitur extensio partium in se: ergo in illo consistit essentia ipsius, reliqua verò erunt ejus proprietates: *Probatur minor*: ideò enim quantitas habet partes extensas in ordine ad locum, quia prius habet illas in seipsa, & ideò est impenetrabilis, ideò divisibilis, ideò aliorum mensura, quia localiter extensa; non verò è converso: ergo extensio in se est primum omnium & radix aliorum.

Confirmatur: Quantitas reperitur secundùm suam rationem essentialem in corpore Christi Domini sub speciebus Eucharisticis: atqui ibi habet tantùm extensionem partiũ in ordine ad se, non verò in ordine ad locum, nec subinde impenetrabilitatem quæ in solo corpore localiter extenso reperitur, nec divisibilitatem, nec rationem mensuræ quæ etiã

loca-

localem supponunt extensionem : ergo essentia quantitatis, in illa extensione in ordine ad se posita est.

Respondebis, reperiri in corpore Christi Domini in Eucharistia extensionem non quidem actualem sed aptitudinalem in ordine ad locum, & in hac consistere formalē & essentialem rationem quantitatis, non verò in extensione aut positione partium in se propter rationem statim in objectione subjiciendam.

Sed contra : quia extensio illa aptitudinalis in ordine ad locum, non est aliud quàm ipsa formalis extensio in se : ergo responsio nulla. *Probatur antecedens* : in tantùm enim aliquid est aptum extendi in ordine ad locum, inquantum est extensum in se : ergo aptitudo ad extensionem localem est ipsa extensio in se.

Ex dictis sequitur hanc esse definitionem essentialem quantitatis prædicamentalis, quod videlicet sit Accidens extensivum substantiæ in se: seu, Accidens habens partes, easque tribuens subjecto in seipso; datur enim per effectum formalem primarium & essentialem quantitatis.

Objicies : Substantia corporea habet extensionem in seipsa, seu partes inter se distinctas, puta caput, brachia, & hujusmodi independenter à quantitate : ergo quantitas non tribuit substantiæ extensionem aut partes in seipsa, ergo tantum in ordine ad lo-

cum sensu explicato, ac subinde malè definita est à nobis quantitas.

Huic argumento plenè satisfiet in lib. de anima, ubi ostendemus substantiam corpoream remota quãtitate fore inextensam & indivisibilem, nec habituram actu partes illas integrales. *Vnde juxta ibi dicenda negandum est antecedẽs,* sicut negaretur si diceretur: substantia corporea est alba aut disgregativa visus independenter ab albedine: sicut enim effectus formalis & proprius albedinis est tribuere subjecto esse album, ita quantitatis constituere illud extensum aut partes ei tribuere; atque ita sicut impossibile est esse album absque albedine, ita esse extensum aut habere partes sine quantitate. *Dixi integrales:* nam physicæ, id est, materia & forma, independentes sunt à quantitate.

SECTIO II.

De divisione Quantitatis in Continuam & Discretam.

QUANTITAS ut sic immediatè dividitur in Continuam & Discretam.

Continua est illa, cujus partes copulantur termino communi, id est, aliquo indivisibili utramque partem hinc inde afficiente: ut linea cujus partes uniuntur punctis; superficies à qua

(à qua non differt locus nisi accidentaliter, ut sect. seq, videbimus) lineis: corpus, superficiebus: motus, indivisibilibus propriis ipsius quæ dicuntur mutata esse: & tempus instantibus.

Discreta verò è contra est illa cujus partes sunt disjuncta nulloq; termino communi aut vinculo unita: ut numerus, qui constat unitatibus; & oratio vocalis, quæ constat vocibus aut syllabis inquantum longis aut brevibus, quæ nullo communi vinculo copulantur. His positis

Dico divisionem illam quantitatis in continuam & discretam, esse univocam & generis in species.

Probatur: Illa divisio est univoca & generis in species, in qua ratio aliqua communis & generica dividitur per essentiales differentias: ista est talis: ergo. *Probatur minor*: quia habere partes, in quo sita est ratio generica quantitatis, essentialiter dividitur per hoc quod est habere partes unitas, in quo consistit essentia quantitatis continuæ; & habere partes discretas quæ est propria differentia quantitatis discretæ, ut patet ex definitionibus allatis: ergo, &c.

Objicies: quantitas discreta aut numerus non est vera species quantitatis: ergo illa divisio non est univoca & generis in species.

Huic argumento satisfiet plenè infrà sect. 4. interim negatur antecedens.

SECTIO III.

De speciebus Quantitatis Continuæ.

EX præcedenti sectione relinquitur quantitatem continuam subdividi in *lineam, superficiem, corpus, motum & tempus.* Dubium verò est utrum hæc quoque divisio aut subdivisio sit univoca generis in species, seu quod in idem redit, *utrùm hæc omnia sint verè species quantitatis. Pro resolutione.*

Dico 1. Linea, superficies & corpus, sunt veræ & distinctæ species quantitatis continuæ.

Probatur. Quantitas continua est illa cujus partes termino communi copulantur: ergo illæ erunt veræ & diversæ species quantitatis continuæ, quarum partes diversis terminis uniuntur: atqui tales sunt linea, superficies & corpus: ergo. *Minor subsumpta probatur*: linea enim est quantitas cujus partes continuantur punctis, superficies lineis, corpus superficiebus, ut jam suprà definivimus, cum quibus definitionibus coincidunt hæ, quibus.

Linea definitur quantitas continua in longum: superficies in longum & latum: corpus in longum, latum & profundum. Quod hæ definitiones coincidant cum præcedentibus, *patet*, quia longitudo quæ est propria & formalis ratio lineæ continuatur punctis; lati-

latitudo quæ est constitutiva superficiei, lineis; & profunditas quam de formali importat corpus, superficiebus. *Per quod etiam satisfiet argumento quo.*

Obiicitur contra conclusionem sic: una species non debet includere aliam: atqui corpus includit superficiem, superficies item lineam, siquidem corpus est quantitas cujus partes superficiebus, & partes superficierum lineis copulantur, ergo non sunt veræ & diversæ species quantitatis continuæ.

Huic inquam argumento satisfit ex dictis: verum siquidem est unam speciem *non debere formaliter includere aut importare aliam, potest tamen eam de materiali importare:* sicque contingit in proposito, superficies enim solùm de materiali importat lineam seu longitudinem, de formali verò latitudinem: similiter corpus licet trinam importet dimensionem, solā tamē profunditatem dicit de formali, alias verò duas, longitudinem scilicet & latitudinem, de materiali tantùm & præsuppositivè. Sed pro majori intelligentia.

Adverte superficiem & lineam dupliciter spectari posse: vel ea ratione qua continuæ & divisibiles sunt sua propria & speciali divisibilitate & continuitate, linea in longum, superficies in latum; & hoc modo sunt veræ & diversæ species sub quantitate continua tanquam sub genere subalterno directè col-

locatæ, ut probatum relinquitur, nec una formaliter ut talis includitur in alia aut alia ut talem formaliter includit: vel eà ratione qua sunt indivisibiles, linea in latum, superficies in profundum; & sub hac formalitate linea includitur in superficie, & superficies in corpore, tanquam indivisibilia copulantia eorum partes, quæ proinde ut sic solùm indirectè & reductivè ad quantitatem spectant, sicut unitas & punctum; ipsa verò propria earum divisibilitas & extensio solùm materialiter se habet ibi.

Dico 2. Locus non est species quantitatis distincta à superficie. Probatur: quia locus nihil aliud est quàm superficies ultima corporis continentis, id est, superficies immediate ambiens corpus locatum: ergo non differt essentialiter & specificè à superficie, sed tantùm accidentaliter penes hoc quod est continere & ambire corpus locatum. *Quod confirmatur exemplo:* superficies concava dolii comparata ad ipsum dolium cui inhæret, dicitur superficies simpliciter & absolute: comparata verò ad vinum quod continet, dicitur locus eius: illa autem continentia est merè accidentalis respectu superficiei: ergo locus addit tantùm aliquid superficiei accidentale, subindeque accidentaliter tantum ab ea distinguitur.

Dico 3. Motus & tempus non sunt veræ species quantitatis continuæ, sed *reductivè tantùm ad eam pertinent.*

Proba-

Probatur: quia licet habeant partes aliquibus indivisibilibus tanquam communibus terminis copulatas, aliunde tamen sunt entia valde incompleta quæ in linea recta prædicamenti sedem non habent, ut aliàs diximus: ergo non sunt veræ species quantitatis continuæ. *Antecedens probatur & declaratur explicando breviter in quo consistant motus & tempus. Pro quo*

Advertè, quòd quando aliquod subjectum acquirit successive formam aliquam, E.g. calorem, albedinem, novum ubi, aut hujusmodi, quinque sunt ibi distinguenda. *Primum est*, emanatio & veluti egressus illius formæ, putà caloris, ab agente producente ipsam. *Secundum est*, receptio illius in passo aut subjecto cui illam imprimit agens abstrahendo ab eo quod recipiatur vel tota simul, vel paulatim & successivè per partes. *Tertium est* ipsa successiva receptio seu acquisitio talis formæ in prædicto subjecto. *Quartum* duratio vel mora illius successivæ acquisitionis & receptionis. *Quintum denique*, forma ipsa acquisita. Primum appellatur actio; secundum, passio: tertium, motus, seu mutatio subjecti formam per partes successivè acquirentis: quartum, tempus: quintum, effectus per respectum ad actionem, aut terminus per ordinem ad motum.

Ex quibus constat motum esse quid valde imperfectum & incompletum; cùm nihil addat

addat supra actionem, passionem, & terminum, nisi successionem quandam quæ est modus aliquis: & ideò meritò inter postprædicamenta numeratur motus ut videbimus. Quod si motus est quid incompletum, multò magis tempus quod nihil aliud est quàm duratio ejus, subindeque aliqua ejus affectio seu proprietas: inintelligibile autem est proprietatem rei alicuius incompletæ esse quid completum: ergo, &c.

Maneat ergo, tres tantùm esse veras species quantitatis continuæ, lineam, superficiem, & corpus (sumptum pro quantitate trinam habente dimensionem, nam sumptum pro materia, aut pro composito physico ex materia & forma in categoria substantiæ collocatur, priori modo indirectè, posteriori directè:) motum verò & tempus non esse veras species, sed reductivè id quantitatem continuam spectare, quatenus incompletè eius naturam participant, habent enim suo modo partes indivisibilibus copulatas, nam motus constat partialibus mutationibus seu acquisitionibus termini per mutata continuatis: tempus, partialibus durationibus copulatis per instantia. Sed de his fusiùs in Physica.

Maneat etiam consequenter, præfatam divisionem quantitatis continuæ, quatenùs respicit omnia illa quinque membra, non esse generis in species, sed analogi in analogata, cùm ratio divisi conveniat simpliciter lineæ, super-

superficiei, & corpori; mutui verò & tempori secundum quid.

SECTIO IV.

De Quantitate Discretâ, seu Numero.

QUAMVIS quãtitas discreta dividatur in numerum & orationem, supponit tamen titulus, ex infra dicendis nomine quantitatis discretæ solum numerum simpliciter loquendo venire intelligendum: ostendemus enim in hac sectione orationem non esse veram & propriam speciem quantitatis: imò & de ipso numero non est mediocris difficultas, quæ ut resolvatur.

Adverte primò Numerum solere definiri multitudinem mensuratam per unum: sive multitudinem unitatum, id est, rerum à se invicem divisarum & in seipsis indivisarum, siquidem unitas nihil aliud est quam res indivisa in se & divisa à qualibet alia.

Adverte secundò numerum esse duplicem: alterum transcendentalem, qui per omnia genera divagatur: *alterum quantitativum & prædicamentalem*, qui ad hanc specialem categoriam

tegoriam spectat. *Numerus transcendentalis est multitudo unitatum transcendentalium*, id est, entitatum quarumcunque prout indivisarum in se & divisarum ab aliis: ut Ternarius angelorum, Quaternarius virtutum cardinalium, &c. *Numerus verò prædicamentalis aut quantitativus est multitudo unitatum quantitativarum*, id est, quantitatum continuarum à se invicem discretarum & in seipsis indivisarum: ut Ternarius linearum, Quaternarius superficierum, aut corporum. His positis.

Difficultas non parva est, *utrùm numerus ille quantitativus ponatur directè in hoc prædicamento*: de transcendentali enim qui constat rebus aliorum prædicamentorum, non potest oriri dubium, cum non participet rationem quantitatis ut sub ea collocari queat, nec habeat unitatem quam alia genera aut prædicamenta requirunt ut possit in eis reponi, ut enim sub genere substantiæ aut qualitatis aliquid collocetur, debet esse una substantia, una qualitas, & sic de aliis: ternarius autem angelorum non est una substantia, nec quaternarius virtutum una qualitas. *Quoad numerum verò quantitativum*

Dico primò hujusmodi numerum esse veram speciem quantitatis directè in hoc prædicamento collocandam. Contra Suarem & alios contendentes esse ens per accidens.

dens subindeque à prædicamento excludendum.

Probatur tamen conclusio: Illa est vera species quantitatis, de qua ipsa quantitas, quæ est supremum genus hujus prædicamenti, essentialiter enunciatur: sed enunciatur essentialiter de numero quantitativo: ergo. *Major est per se evidens. Minor verò probatur*: nam totum id quod est de ratione quantitatis prædicamentalis, competit numero quantitativo: ergo enunciatur de illo. *Probatur antecedens*: de ratione quantitatis ut sic est habere partes, abstrahendo ab hoc quod illæ partes sint unitæ termino communi, vel discretæ ab invicem: atqui numerus quantitativus habet partes, nempe discretas & termino communi non unitas, in quo differt a quantitate continua: ergo totum id quod est de essentia quantitatis ut sic, abstrahendo à continua & discreta, convenit numero.

Respondebis, quantitatem ut sic, seu hoc quod est habere partes, non dici univocè sed tantùm analogicè de numero quantitativo, quia non constat partibus simpliciter, sed ipsis quantitatibus continuis totalibus & completis.

Sed contra primò, quia quantitates continuæ, ex quibus componitur numerus id habent quòd sint & tota, & partes simpliciter: ergo constat partibus simpliciter. *Probatur* ante-

antecedens: totum est illud quod componitur ex partibus, pars verò simpliciter dicitur quod natum est cum alio aut aliis componere unum per se; atqui eadem quantitas continua, puta palmaris, componitur ex partibus, in quas potest in infinitum dividi, ut videbimus in Physica, & simul nata est cũ aliis similibus constituere unam per se quantitatem majorem, puta ulnam: ergo & est totum & est pars simpliciter: Et hoc est omninò proprium quantitati, ex eo quod (mathematicè & secundùm se spectata) semper nata est & dividi in partes, & sic est totum; & continuari cum aliis, & sic est pars.

Contra secundò: quia numerus constat quantitatibus continuis, non ut quantitates sunt, sed ut unitates: atqui hoc modo sunt incompletæ & partes simpliciter: ergo constat partibus simpliciter. *Major est evidens*: numerus enim est multitudo unitatum: ergo constat formaliter unitatibus. *Minor verò probatur*: Indivisibile quantitatis in quantùm tale est quid incompletum, ut patet in linea e. g. quæ licet inquantum est extensa & divisibilis in longum sit ens completum & vera species directè collocata in hoc prædicamento; tamen inquantum est indivisibilis in latum, seu ut caret divisibilitate propria superficiei, sub qua ratione est terminus communis copulans partes ejus, est quid incompletũ & indirectè

tan-

tantùm pertinens ad hanc categoriam, ratione scilicet ipsius superficiei in qua includitur: Atqui unitas inquantùm talis, est proprium indivisibile quantitatis discretæ sed numeri, qui ultimò dividitur & resoluitur in unitates, ipsæ verò ut tales non sunt ulteriùs resolubiles in alias, cum iis actu non constent (unitas enim non componitur actu ex unitatibus, alias esset numerus, non unitas:) ergo unitas quantitativa formaliter inquantum talis, est quid incompletum, & ponitur solum reductivè in categoria ratione numeri; quamvis materialiter, ut est ipsamet quantitas continua, sit ens completum & vera species directè ad hanc categoriam spectans. Ex quibus ad difficiliores objectiones responderi poterit.

Obiicitur enim primò: Quod ponitur in prædicamento directè & tanquam vera species, debet esse unum per se: atqui numerus etiam quantitativus non est unum per se, sed per accidens: ergo. *Probatur minor*: quod constat pluribus entibus actu completis non est unum per se seu unius essentiæ, sed aggregatum per accidens ex pluribus: atqui numerus quantitativus constat pluribus entibus actu completis: ergo. *Probatur minor*; constat enim pluribus quantitatibus continuis, putà pluribus lineis, aut pluribus superficiebus, vel pluribus cor-

corporibus quantitativis: atqui illa sunt entia completa: ergo.

Respondeo negando minorem. Ad probationem concedo absolutè majorem, & nego etiam minorem: ad cuius etiam probationem respondeo distinguendo dupliciter juxta duos modos quibus responsionem adversariorum superius impugnavimus. Juxta primum modum *distinguo majorem, sic:* Constat pluribus quantitatibus continuis, in quantum singulæ componuntur ex suis partibus, nego: inquantum possunt componere & continuari cum aliis, mathematicè loquendo, concedo: *Similiter ad minorem:* sunt entia completa, priori modo, concedo: posteriori, nego. *Iuxta secundum*, qui ferè in idem redit, *distinguo etiam illam majorem:* Constat pluribus quantitatibus, ut quantitates sunt simpliciter, nego: ut unitates, concedo: Atqui hujusmodi sunt entia completa, ut quantitates, concedo: ut unitates, nego. *Neque ad hoc necesse est dicere,* quod nonnulli dicunt unitatem quantitativam esse aliquem modum realiter formaliter distinctum à quantitate quam constituit unam, ad differentiam unitatis transcendentalis quæ nihil superaddit enti, sed est ipsummet ens ut indivisum in se & divisum à quolibet alio: *Non est inquam necesse ad hoc recurrere*, & illud discrimen inter unitatem prædicamentalem & transcenden-

cendentalem ſtatuere: tùm quia ſicut quodlibet aliud ens ſeipſo eſt unum hoc ipſo quod indiviſum in ſe ſecluſo quocumque alio realiter diſtincto, ita & ipſa quantitas: tum quia ſufficienter ſalvatur, quomodo illa unitas, etſi non ſit aliquis modus realiter ſuperadditus ipſi quantitati, ſit nihilominus aliquid incompletum, ut ſupra explicuimus.

Obiicies 2. & inſtabis: Quæ non uniuntur inter ſe (eſto ſint incompleta) non efficiunt unum per ſe; ſed unitates quantitativæ ſeu partes numeri non uniuntur inter ſe, ſed ſunt ab invicem diſcretæ & diſiunctæ: ergo numerus, qui ex illis conficitur, non eſt unum per ſe ſeu ens unius eſſentiæ.

Reſpondeo majorem eſſe veram in aliis generibus, in genere quantitatis falſam: unde & ſimiliter conſequens diſtinguendum eſt: *Non eſt unum per ſe, unitate aliorum generum, concedo, quantitatis, nego. Ratio diſparitatis eſt*, quia alia genera, putà ſubſtantia, cum in ſuo conceptu nullam importent pluralitatem, exactiorem unitatem poſtulant: quantitas verò in ſuo conceptu eſſentiali pluralitatem importat partium, abſtrahendo à continuatione aut diſcretione ſive ſeparatione illorum; & ideò unitas quam petit eſt omnium per ſe unitatum minima, utpote

quæ

quæ compatitur cum hujuſmodi pluralitate partium ſive continuatum, ſive diſcretarum, cùm de ſe ab utriſque abſtrahat.

Inſtabis: plura ut plura non faciunt unum in quocunque tandem genere: ſed partes numeri conſtituunt ipſum ut plures ſunt, quandoquidem ut diſcretæ & ſeparatæ: ergo non faciunt unum.

Reſpondeo diſtinguendo: Plura ut plura diſparata, concedo: *ordinata ad ſe invicem*, nego: numerus autem de quo loquimur non conſtituitur ex pluribus quantitatibus diſparatis, puta binarius ex linea & ſuperficie: ſed ex pluribus inter ſe ordinatis & continuabilibus, ut ex duabus lineis, vel ex duabus ſuperficiebus, &c.

Adverte autem numerum quantitativum ſolere diſtingui in numerum formalem, qui dicitur numerus numerans ſeu numerus abſtractus; *& materialem*, qui appellatur numerus numeratus ſeu concretus. *Numerus formalis eſt ipſe numerus ſecundùm ſe & ſuam rationem formalem ſpectatus* ut conſtituitur ex ipſis unitatibus quantitativis præcisè, ut Ternarius ut ſic: *numerus materialis eſt idem prout applicatus rebus*, ut Ternarius hominũ.

Adverte præterea ultimam unitatem dare ſpeciem numero, nam tertia unitas eſt qua conſtituit ternarium. Quæ unitas ultima in numero numerato non eſt determinata, neque enim

enim in ternario hominum datur aliquis qui sit determinatè ultimus illius numeri aut tertius, sed tantum in numero numerante. Hæc de numero.

Dico 2. Orationem non esse veram speciem quantitatis. Sumitur hic oratio pro numero seu multitudine vocum aut prolationum seu syllabarum ordine quodam sibi succedentium. *Quo posito.*

Probatur conclusio: quia in oratione illa vocali nihil est quod possit habere rationem quantitatis nisi extensio illa seu duratio cujuslibet syllabæ ratione cujus dicitur longa vel brevis apud Grammaticos: atqui talis duratio longa vel brevis prolationis syllabæ non sufficit ut oratio dicatur species quantitatis, ergo, &c. *Probatur minor*: duratio illa seu morula quæ consumitur in prolatione cujuslibet syllabæ, nihil aliud est quàm tempus ipsius intrinsecum: ergo cum tempus nō constituat speciem quantitatis, *ut sect. sup. ostendimus*, nec etiam duratio illa discreta syllabarum eam constituet, ac proinde nec oratio, quæ prout hic sumitur, est multitudo syllabarū quatenus brevium aut longarum, seu quatenus unaquæque cum brevi aut longiori duratiuncula profertur: unde *reductivè tantùm ad hoc prædicamentum pertinebit, & non directè, quia est quid incompletum*, ut suprà diximus de tempore.

SECTIO V.

De proprietatibus Quantitatis eiusque coordinatione, in serie Prædicamentali.

EX dictis sectione prima habes proprietates physicas quantitatis esse *extensionem localem, impenetrabilitatem, divisibilitatem, & rationem mensuræ, intrinsecæ quidem respectu subjecti proprii, extrinsecæ comparatione aliorum*. Proprietates verò logicæ aut prædicabiles, de quibus hic per se inquiritur, sunt potissimùm tres.

Prima est, quòd quantitas non habeat contrarium: & hæc convenit omni, sed non soli, competit enim substantiæ ut suprà vidimus.

Secunda est, quòd non suscipiat magis & minùs, nam eadem quantitas non dicitur modò magis, modò minus quantitas, (ad hoc enim requireretur quòd in una & eadem parte subjecti esset modò magis, modò minus extensa, quod repugnat, siquidem non extenditur nisi per hoc quod est in pluribus partibus, aut meliùs quòd habet plures par-

tes

tes in subjecto quàm antea:) quamvis dicatur & sit modò major modò minor, ad quod sufficit quod addantur ei vel detrahantur partes in diversis partibus subjecti: Et hæc etiam proprietas est illi communis cum substantia, & cum aliis prædicamentis à qualitate distinctis ut constabit.

Tertia est ut secundum quantitatem dicantur res æquales vel inæquales: & hæc convenit quarto modo, id est, omni & soli quantitati & semper. Sed adverte quod sicut quantitas alia est molis; de qua hactenus egimus, *alia virtutis quæ est qualibet perfectio sive spiritualis, sive corporea:* ita etiam dupliciter unum dici potest *æquale alteri, primò quantitativè & quoad molem corpoream,* sicut duæ lineæ, aut duo corpora ejusdem magnitudinis: *Secundò quantùm ad perfectionem,* sicut unus homo dicitur alteri æqualis in scientia aut virtute. Esse æquale vel inæquale hoc secundo modo non est proprietas quantitatis molis ut constat, sed per omnia genera divagatur, secus primo modo.

Arbor autem quantitatis sive series prædicabilium ipsius, ut ex dictis colligi potest, ita debet ordinari, ut primò quantitas ut sic, quæ est supremum genus, dividatur in continuam & discretam. Continua in lineam, superficiē, & corpus, quæ sunt species infimæ, nam linea curva vel recta, superficies quadrata vel circularis, corpus pyramidale aut rotundum, & similia, non sunt differentiæ essentiales

harum specierum divisivæ, sed solùm accidentales, quippe quæ ex rebus aliorum prædicamentorum sumuntur, ex figura videlicet, quæ est de prædicamento qualitatis. Discreta verò quantitas seu numerus dividi debet in parem & imparem: numerus par in binarium, quaternarium, &c. impar in ternarium (qui definitur numerus impar primus, ex eo quòd nullum habeat priorem se imparem) quinarium, septenarium, & similes, qui sunt species infimæ.



DISPUTATIO VII.

De Prædicamento Relationis.

PRO intelligentia eorum quæ in hujus disputationis decursu dicentur, explicandi sunt ipso in limine *hi termini, relatio, relativum, subjectum relationis, fundamentum, terminus, correlativum, extremum.*

Relatio est accidens cuius totum esse est ad aliud se habere (supple) *ut quo*: sensus enim est relationem esse id quo mediante subjectum refertur; seu cujus effectus formalis est referre subjectum cui inest, ad aliud.

Rela-

Relativum verò est concretum relationis, sicut album est concretum albedinis; unde idem sonat ac habens relationem, seu habens se ad aliud, supple, ut quòd: quo sensu: intelligenda est definitio Aristotelis dicentis: *relativa esse ea quorum totum esse est ad aliud se habere.*

Subjectum relationis est id, cui relatio inest: & differt à relativo sicut paries ab albo: quemadmodum enim paries significat subjectum cui albedo inest, album verò importat utrumque; ita in proposito subjectum relationis significat id quod substernitur relationi, relativum verò significat & relationem & subjectum, seu melius, relationem ut in subjecto.

Fundamentum autem relationis nihil aliud est, quam causa seu ratio cur subjectum referatur seu relationem habeat ad aliud.

Terminus relationis dicitur id: ad quod formaliter terminatur relatio: sicut filius est terminus relationis paternitatis, & objectum est terminus relationis scientiæ ad ipsum, & sic de aliis.

Correlativum dicitur ipse terminus quando vicissim refertur ad id cuius habitudinem terminat, ut filius, qui ad patrem correfertur: *si verò non correferatur, appellatur simpliciter terminus.*

Extrema verò dicuntur relativum & terminus, seu id quod refertur & id quod rela-

tionem ejus terminat, sive correferatur, sive non.

SECTIO I.

Quid sit Relatio Prædicamentalis.

DIco 1. Relatio prædicamentalis rectè definitur, *Accidens reale, cujus totum esse est ad aliud se habere*, (supple) *ut quo; seu referre subjectum ad aliud.*

Probatur declarando singulas particulas. Dicitur, *accidens*, per quod excluduntur ab hoc prædicamento relationes Divinæ Paternitatis, Filiationis, Spirationis, per quas personæ Sanctissimæ Trinitatis constituuntur, quæ sunt ipsamet Dei substantia, atque ita sicut non ponitur hæc in categoria substantiæ, sic nec relationes illæ in hoc prædicamento, idque ob easdem rationes quas facilè huic proposito applicabis. Dicitur, *accidens reale*, ut excludantur relationes rationis, ob rationem in antepraedicamentis adductam dum de conditionibus in ente categorico requisitis ageremus. Et quamvis nonnulli censuerint relationem prædicamentalem non esse realem quoad rationem *ad*, (in relatione enim

duplex

duplex ratio distinguitur, nempe ratio communis accidentis quæ est esse *in* subjecto, & ratio specialis ac veluti differentialis ipsius relationis quæ est referre *ad* aliud;) immeritò tamen, cum à parte rei & ante omnem mentis operationem referat unum ad aliud.

Additur denique, *cujus totum esse est ad aliud se habere*, ut denotetur relationem prædicamentalem esse purum respectum ad aliud, excludanturque ab hac categoria relationes secundum dici & transcendentales, quarum totum esse non est ad aliud se habere seu referre unum ad aliud, nec sunt puri respectus, sed vel res omninò absolutæ in suo esse, quæ tamen intelliguntur, significantur aut dicuntur in ordine ad aliud sicut Deus ut omnipotens, ut Creator, ut dominus, in ordine ad creaturas, qui propterea relativus dici potest secundum intelligi aut secundum dici ad ipsas; vel absolutæ simpliciter, cum hoc tamen connotantes essentialiter, aliquid extrinsecū, sive ut causam, sive ut effectum, sive ut objectū, aut subjectū, vel aliquo alio modo, sicut res creatæ, quæ ut tales saltem connotant extrinsece Deū ut Creatorem, & insuper aliæ suos effectus, aliæ objecta à quibus specificantur, aliæ subjecta quibus insunt, vel quid simile, ita ut nulla sit res creata quantumvis absoluta quæ alicujus extrinseci non importet connotationem, subindeque transcendentalem relationem, quæ ni-

hil aliud est quàm hujusmodi connotatio, seu ipsamet entitas rei absolutæ ut connotans illud extrinsecum: dicitutque relatio transcendentalis eo quòd per omnia genera divagatur & in omnibus rerum creatarum formalitatibus includitur: estque fundamentum relationis prædicamentalis in eis, quando reliquæ adsunt conditiones: relatio enim transcendentalis genitoris ad genitum, v.g. quæ nihil aliud est quàm ipsemet homo generans, vel ipsius potentia generativa ut connotans alium à se productum, sicut causa effectum, fundat relationem paternitatis, quæ prædicamentalis est; similiter relatio transcendentalis potentiæ aut habitus, putà scientiæ vel virtutis, ad objectum proprium, categoricam fundat habitudinem mensurati ad mensuram, de qua infrà. *Vnde inferes non esse idem generaliter loquendo relationem transcendentalem, & relationem quæ appellatur secundum dici. Relativum enim secundùm dici* appellatur id omne, quod etsi non habeat relationem prædicamentalem ad aliud, nec transcendentalem, quæ ut mox diximus est fundamentum illius, *dicitur tamen aut significatur ut respectivum ad aliud ut de* Deo in quantum omnipotente, creatore, &c. dictum est. Superius dixi, *si adsint alia conditiones*, circa quas.

Dico 2. Quatuor conditiones requiruntur ad relationem prædicamentalem: prima est subjectum

ctum reale: secunda, fundamentum reale: tertia, terminus realis & realiter existens: quarta, distinctio realis inter fundamentum & terminum.

Ratio prima conditionis est, quia accidens reale, qualis est relatio, nequit subjectari nisi in subjecto reali.

Ratio secunda est, quia fundamentum relationis nihil aliud est quam causa seu ratio cur aliquid ad aliud referatur: atqui in hoc quod refertur realiter reperiri & assignari debet aliqua realis causa aut ratio talis relationis, effectus enim realis causam realem exposcit: ergo.

Ratio tertia sumitur, ex propriissima ratione relationis prædicamentalis: cum enim totum ejus esse sit ad aliud se habere, id est, referre suum subjectum ad terminum, ablato termino, necesse est & ipsam auferri. Unde defectu hujus conditionis Logica non dicit relationem prædicamentalem ad suum objectum, quod non est quid reale sed rationis, sed solum transcendentalem, ut alias dicebamus, sicut etiam genitor ad genitum mortuum, & sic de aliis.

Ratio tandem quartæ conditionis ex eodem capite sumitur: si enim relatio prædicamentalis est verus & realis ordo unius ad aliud, hoc est, subjecti & fundamenti ad terminum, constituens hujusmodi extrema inter se opposita, oppositione relativa, ergo realiter & ante

omne opus intellectus terminus debet esse aliud à fundamento, ejusdem enim ad seipsum nequit dari realis relatio aut oppositio. Et hujus defectu conditionis, similitudo & æqualitas, quæ reperitur inter personas Divinas ratione unius & ejusdem essentiæ, non est relatio realis: & si per impossibile una & eadem albedo esset in duobus parietibus, similitudo illorum nequaquam etiam esset realis relatio sed identitas.

Hæ omnes conditiones claræ fiunt in hoc exemplo. Paternitas, v.g. est relatio prædicamentalis, cujus subjectum est Petrus, fundamentum est potentia generativa ipsius ad actum redacta, terminus verò est filius ab ipso genitus, inter quos realis intercedit distinctio.

SECTIO II.

De fundamento Relationis Prædicamentalis, ejusque distinctione ab illo.

TRIPLEX *assignari solet relationis prædicamentalis fundamentum. primum est, unitas & numerus: secundum, actio & passio: tertium, mensura & mensuratum.*

Unitas aut convenientia fundat relationem, iden-

identitatis, similitudinis, aut æqualitatis: ex eo enim quòd Petrus & Paulus conveniant in una natura specifica aut generica, fit quòd referantur ad invicem relatione identitatis in tali natura: ex eo quòd in una quantitate aut magnitudine staturæ, oritur inter ipsos relatio æqualitatis: & ex eo quòd in una qualitate, putà albedine, relatio similitudinis: juxta illud Philosophi, *unum in substantia facit idem: unum in quantitate facit æquale; in qualitate, simile. Numerus verò aut distinctio seu disconvenientia fundat relationes diversitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis*: ex eo enim quòd in Petro & Paulo sit diversa numero & individualiter natura, consurgit inter ipsos relatio diversitatis in tali natura individua: ex eo quòd diversa quantitas aut staturæ magnitudo, relatio inæqualitatis: dissimilitudinis verò ex eo quod disconveniant in qualitate, putà colore. Et sic de aliis.

Actio autem & passio fundant relationem agentis ad passum aut effectum, & è converso effectus vel passi ad ipsum agens. v. g. generatio activa in homine generante: fundat relationem paternitatis ad filium, & vicissim generatio passiva in homine genito, relationem filiationis ad patrem, & sic de aliis. Ideò enim pater refertur ad filium, quia ipsum genuit, & è converso ideò filius correfertur ad patrem, quià ab ipso genitus est.

Dices: desinente fundamento non remanet relatio: atqui remanet transacta actione, putà paternitas transacta generatione: ergo actio non est fundamentum relationis. *Præsertim*, quia actio transiens, de qua est sermo, non residet in ipso agente in quo subjectatur relatio illa, sed transit ad passum & in eo recipitur, ut dicemus in Physica.

Respondeo, fundamentum relationis agentis ad passum, & vicissim passi ad agens non esse actionem aut passionem in abstracto sumptas, quæ transeunt; sed in concreto, quæ nihil aliud sunt quàm potentia activa aut passiva, (seu potentia generandi activè, v. g. quæ est in Patre, & generandi passivè quæ est in filio) ut ad actum vel exercitium redactæ, & illæ manent in hujusmodi subjectis quamdiu illa subjecta manent. *Ex quibus facilè respondebitur in forma.*

Denique ratio mensurabilis fundat in re qua mensuratur, relationem ad propriã mensurã, hoc est ad id per quod eius perfectionem cognoscimus & veluti metimur. Unde quia omnes potentiæ, v. g. omnes actus & habitus mensurantur quoad suam perfectionem ab objectis, ita ut tantò perfectiores sint quantò perfectius aut nobilius respiciunt objectum aut nobiliori modo illud attingunt, ideò dicunt relationem prædicamentalem ad illud (si adsint omnes conditiones de quibus suprà) quæ dicitur relatio mensurati ad mensuram:

ram : ad mensuram inquam perfectionis, non enim hic loquimur de mensura quantitatis : id est, per quam cognoscimus molem & quantitatem rei, qualis est ulna respectu panni : inter hanc enim mensuram & illud mensuratum intercedit relatio primi generis, scilicet æqualitatis vel inæqualitatis, fundata supra convenientiam vel disconvenientiam in magnitudine, non verò relatio hujus tertii generis, hoc est mensurati ad mensuram perfectionis.

Ex quibus inferes, relationes primi & secundi generis, id est, quæ fundantur in unitate & numero, in actione & passione, esse mutuas, quando utrumque extremum est ejusdem ordinis & capax relationis realis & accidentalis. Sensus est relationes primi & secundi generis postulare ut relationi ex parte unius extremi se tenenti correspondeat ex parte alterius alia relatio : *sive sit æquiparantiæ*, ut dicitur, *id est ejusdem rationis & appellationis cum illa*; qua ratione relationi similitudinis existenti in pariete A. verb. gr, correspondet altera relatio, quæ dicitur etiam similitudo, in pariete B. *sive sit disquiparantiæ, hoc est, diversæ rationis & appellationis ab ea quam terminat & mutuò respicit*, quo modo paternitati correspondet filiatio. Dixi, *Quando utrumque extremum est ejusdem ordinis & capax, &c.* Si enim alterum extremum sit superioris ordinis & incapax relationis ad aliud, tunc

tunc non erit mutua relatio : ut patet, tum in maternitate B. Virginis, cui, etiamsi sit secundi generis, non correspondet realis relatio filiationis ex parte Christi Domini, quia suppositum ejus in quo deberet recipi, non est capax accidentis realis, utpote divinum : tum in relatione creaturæ ad creatorem, cui ob eandem rationem non correspondet ex parte Dei relatio realis. *At verò relationes tertii generis, id est, fundata in mensura & mensurato, aut in mensuratione vel mensurabilitate unius ab alio, non sunt ex natura sua mutua* : solùm enim ex parte mensurati reperitur realis relatio ad mensuram, & non è contra : potentia enim v. g. realiter refertur ad objectum, scientia ad suum scibile, creaturæ ad Deum ut ad suum exemplar & mensuram suarum perfectionum (quæ per majorem vel minorem accessum ad perfectones divinas dignoscuntur, sicut etiam perfectio scientiæ aut potentiæ per suorum objectorum perfectionem aut nobilitatem:) non tamen è converso Deus correfertur ad creaturas in ratione exemplaris aut ideæ illarum, sicut nec in ratione creatoris, ut dicebamus; nec similiter objectum ad potentiam, aut scibile ad scientiam.

Et ratio disparitatis est, quia in relationibus tertii generis fundamentum est tantùm in uno extremo, nempe in mensurato, quod suam perfectionem & specificationem desumit

finit ab altero, scilicet mensura, quæ omninò invariata manet ex parte sui. At verò in relationibus primi & secundi generis fundamentum ponitur ex parte utriusque extremi, puta albedo ex parte amborum parietum, actio & passio aut potius potentia activa & passiva ad actum & exercitium redactæ, ex parte agentis & passi, & sic de aliis. Et hæc de prima parte tituli.

§. I.

Resolvitur secunda pars tituli sectionis de distinctione relationis à fundamento.

DICO *relationem prædicamentalem distingui realiter, saltem distinctione minori à suo fundamento.* Ita Thomistæ omnes.

Probatur primò, Relatio est id quo unum extremum refertur à parte rei ad aliud: sed non refertur per ipsum fundamentum formaliter, sed per quid distinctum à parte rei ab ipso: ergò relatio est quid distinctum à parte rei a fundamento. *Probatur minor:* fundamentum ipsum est quid absolutum, putà albedo quæ fundat relationem similitudinum unius parietis albi ad alterum etiam album: ergo non est id per quod extremum refertur, quod debet esse relativum & purus respectus.

Con-

Confirmatur & urgetur illa ratio ex illo axiomate in quo fundatur, quod scilicet illud quod non est tale per se, debet fieri tale per aliud: sed unum extremum aut fundamentum non refertur per seipsum ad alterum: ergo refertur per aliud realiter distinctum, quod est relatio. *Minor de qua sola ambigi posset; jam probata est.*) quod enim est essentialiter absolutum non refertur per seipsum, siquidem absolutum & relativum diversa sunt: sed fundamentum est quid essentialiter absolutum, cùm sit qualitas, quantitas, substantia aut quid alterius prædicamenti à relatione: ergo.

Probatur secundò, aut adhuc magis confirmatur ratio præcedens, hoc modo: Fundamentum non refertur per seipsum sed per aliud, seu per relationem distinctā & superadditā, si manente fundamento pereat ipsa relatio: atqui sic est: ergo. *Major est evidēs,* aliàs enim idē periret & remaneret *Minor verò probatur facilè:* nā remanēte albedine in pariete A. perit sine dubio relatio similitudinis quā habebat ad parietem B. si hic desinat esse albus: atqui illa albedo erat fundamētū talis relationis: ergo remanēte fundamēto perit relatio.

Ad hæc argumenta respondere potest fundamentum non referri per seipsum absolutè & per se sumptum, sed sumptum cum termino quem connotat, ita ut connotatio illa, quæ erit ipsa relatio, nihil aliud sit in recto quàm

ipsa-

ipſamet realis entitas fundamenti, puta albedinis, ut connotans in obliquo terminum: *vel juxta alios:* aggregatum ex entitate fundamenti & entitate termini in recto & ex æquo importatis: atque ita quando dicitur, quod remanente fundamento perit relatio ſi deſtruatur terminus, non eſt intelligendum quod pereat ex parte illius extremi ſuperſtitis aliqua entitas aut realitas ipſi intrinſeca, ſed ſola connotatio, ad quod ſufficit quod pereat alterum extremum connotatum.

Sed contra; id per quod unum extremum refertur ad aliud, eſt aliqua realitas ſeu reale accidens cujus totum eſſe eſt ſe habere ad aliud, ſic enim definitur relatio ut vidim⁹; ſed fundamentum ſive per ſe ſumptum ſive cum termino non eſt realitas cujus totum eſſe ſit ad aliud ſe habere, ſed ſemper manet entitativè & realiter quid abſolutum: ergo nullo modo refertur per ſeipſum, ſed per aliquam realitatem diſtinctam, quæ ſubinde perit, & non ſolùm connotatum extrinſecum.

Probatur tertiò concluſio, ratione petita ex relationibus, quæ fundantur immediatè in ſubſtantia, qualis eſt relatio identitatis inter Petrum & Paulum fundata in natura ſpecifica, & relatio diverſitatis inter eoſdem fundata in differentia individuali. *Sic autem arguo.* Accidens realiter diſtinguitur à ſubſtantia: ſed relatio identitatis v. g. eſt accidens, fun-

fundamentum verò ejus substantia: ergo distinguitur realiter a fundamento. *Probatur major*: quod non subsistit per se à parte rei, sed inhæret alteri, distinguitur realiter ab eo quod subsistit & non inhæret, alias idem subsisteret & non subsisteret, inhæreret & non inhæreret à parte rei: atqui primum competit accidenti, secundum verò substantiæ: ergo.

Respondebis accidens physicum distingui realiter à substantia: illud enim est quod inhæret, *non verò accidens logicum* quod dicitur id omne quod non est de essentia aut quidditate rei, sive realiter sit entitas substantialis & per se subsistens, sive accidentalis & inhærens: relatio autem illa est accidens tantùm logicum, inquiunt auctores oppositi.

Sed contra: quia continetur sub relatione prædicamentali quæ est verum accidens Physicum, cùm sit unum ex membris dividentibus accidens ut sic, prout accidens distinguitur contra substantiam: ergo responsio nulla,

Objicies primò, si relatio esset aliqua entitas aut realitas distincta à fundamento, admittendæ forent infinitæ propemodum relationum entitates è suis fundamentis identidem pullulantes & veluti fornicantes, nam si vel una musca producatur in rerum natura, exurgunt continuò, tum in ipsa in ordine ad alia omnia, tum in aliis omnibus

in or-

in ordine ad ipsam, innumeræ relationes identitatis vel diversitatis, similitudinis aut dissimilitudinis, propinquitatis vel distantiæ; atque ita innumeræ producuntur entitates & realitates distinctæ si nostra opinio sit vera: Consequens autem videtur omninò absurdum, quod scilicet ad productionem unius muscæ tanta fiat mutatio in universo: ergo.

Confirmatur: quia nulla potest assignari causa huiusmodi entitatis aut realitatis distinctæ à fundamento: ergo non datur. *Probatur antecedens*: quando enim dealbatur aliquis paries Romæ v. g. & per hoc alius paries albus Tolosæ existens incipit habere relationem similitudinis ad ipsum, quænam assignari potest causa productiva hujus novæ entitatis in hoc pariete Tolosæ existente: quem suppono jam album, nullamq; de novo fieri circa ipsum mutationem? *Ex quo ulterius sic arguo*: quia paries hic absque ulla sui mutatione incipit referri ad alterum per solā illius mutationem & dealbationem: ergo relatio illa non est entitas aliqua superaddita, quæ mutationem induceret in hoc pariete, siquidem esset in eo aliquid reale quod antea non erat.

Ad objectionem nego sequelā, quia non exurgunt novæ & distinctæ relationes nisi ponatur novum fundamentū aut novus terminus formalis, ut videbimus infrà: quando autem pro-

producitur in rerũ natura aliquod individuum, aut fit in ipso aliqua nova] mutatio, ponitur quidem ex parte ipsius fundamentũ, ac subinde relatio ad alia, nõ tamen è contra resultant continuò in aliis novæ relationes ad ipsum, quia nec novũ fundamẽtum ponitur ex parte illorũ sed manent immutata ut suppono, nec etiam novus terminus formalis ex parte individui recenter producti, terminat enim relationẽ aliorum ad se sub eadem ratione formali sub qua alia terminant, puta sub ratione convenientis vel disconvenientis in natura, in qualitate, aut hujusmodi, ita ut individuũ ipsum nòviter productũ, sit tãtum terminus materialis ad cuj⁹ multiplicationẽ non multiplicatur relatio ut infrà dicemus.

Ad confirmationem nego antecedens; causa enim relationis est eadem quæ fundamenti, eadem siquidẽ actio quæ terminatur ad entitatem fundamenti, putà ad albedinem parietis existentis Tolosę, terminatur secundariò ad entitatem relationis quæ ex illo per simplicem resultantiam consequitur statim atq; ponitur terminus, ubicunq; tandem ille ponatur aut producatur. Nec requiritur quod actio illa aut causa quæ produxit fundamentum, tunc sit formaliter & in seipsa, quando resultat relatio, sed sufficit quod remaneat virtualiter in ipso fundamento, quatenus istud manet determinatũ ad hujusmodi relationem quamprimum terminus ponetur

netur à parte rei. Ex quibus habes causam relationis esse tum ipsum agens producẽs fundamentum, tum ipsum fundamentum; illud per veram & propriam actionem secundariò terminatam ad relationem, ut dixi; istud per simplicem resultantiam quę est actio impropria: terminus verò aut positio ipsius à parte rei, concurrit solùm ut conditio sine qua relatio, quæ est purus respectus ad ipsum, non resultat.

Objicies 2. Si relatio distinguatur realiter à suo fundamento, dabitur processus in infinitum in assignandis relationum relationibus: consequens non est admittendum &c, *Probatur sequela majoris*: quia supra unam relationem fundabitur alia, & supra hanc tertia, & sic in infinitum: ergo &c. *Probatur antecedens*: quia eâdem ratione quâ albedo A debet referri ad albedinem B per relationem similitudinis superadditam, debet & similitudo albedinis A referri ad similitudinem albenis B per aliam relationem, & hæc per aliam & sic deinceps.

Respondeo negando sequelã. Ad probationem respondeo, unam relationem non fundare aliam, sed per seipsam referri: sicut enim actio, quia est essentialiter egressus aut emanatio ab agente per seipsam fit & emanat ab illo, & non per aliam actionem distinctam; ita etiam relatio, quia est essentialiter respectus ad aliud, debet per seipsam respicere illud, & non

non per alium reſpectum. Ex quo patet diſcrimen inter albedinem & ſimilitudinem in albedine fundatam: albedo enim, cùm ſit ens abſolutum, non refertur per ſe ad aliam albedinem, ſubindèque referri debet per relationem ſuperadditam; at verò ſimilitudo per ſe & eſſentialiter reſpicit aliam ſimilitudinem.

Inſtabis: Eſto quælibet relatio per ſeipſam referatur ad aliam relationem ſibi correſpõdentem, puta ſimilitudo ad ſimilitudinem, paternitas ad filiationem, non tamen per ſeipſã referetur ad alias relationes diſparatas, putà una paternitas ad aliam paternitatem cui eſt ſimilis, & ſic de aliis: ſimiliter quamvis per ſeipſam referatur ad ſuum terminum, non tamen per ſeipſam referetur ad ſuam cauſam, ad ſuum ſubjectum aut fundamentum, ergo per relationes ſuperadditas.

Reſpondeo, quamlibet relationem per ſeipſam referri *primariò ad terminũ* vel (ſi mutua ſit) ad relationem aut relationes ſibi correſpondentes: *ſecundarió autem ad alia omnia ad quæ poteſt dicere ordinem ſive ſimilitudinis, ſive diſſimilitudinis, ſive effectus ad cauſam, ſive quocunq; alio modo*: quia cùm ſit eſſentialiter reſpectus & purus reſpectus, non debet reſpicere per aliud ſed per ſeipſum.

Dices: Paternitas A. non refertur per ſeipſam, etiam ſecundariò, ad paternitatem B. ſi manente paternitate A pereat ille reſpectus

quem

quem dicebat ad paternitatem B. sicut nos suprà in probatione conclusionis arguebamus: atqui sic est, desinit enim respectus paternitatis A, ad paternitatem B, per hoc solũ quod ista desinat esse, aut destruatur: ergo.

Respondeo id verum fore si periret respectus ille quoad suam entitatem, sicut contingeret in casu probationis cõclusionis nostræ quæ procedebat ex suppositione quod periret terminus ejus primarius; non verò si pereat aut desinat solùm quoad aliquam terminationem materialem & secundariam, ut in proposito.

Objicies 3. Entitas illa relationis realiter superaddita fundamento non est necessaria, sed omninò superflua & inutilis: ergo non est admittenda, juxta illud commune estatũ, *quòd no sunt multiplicanda entia sine necessitate. Probatur antecedens*, si esset necessaria, maximè ad constituendum unum extremum formaliter relatum ad aliud: atqui ad hoc nõ est necessaria. *Probatur hoc*: duo parietes albi ut sex, seclusa quacunque entitate relationis ab utraque albedine distincta adhuc referentur ad invicem relatione similitudinis: ergo non est necessaria ad hoc entitas illa distincta. *Probatur antecedens*: quia implicat duos parietes convenire in eodem gradu albedinis & non esse formaliter similes; atqui sine entitate illa relativa superaddita conveniunt in eodem gradu: ergo.

Respon-

Respondeo, entitatem illam aut formam relativam non esse superfluam, sed omninò necessariam ad illud munus: nec eâ seclusâ, sive per intellectum, sive realiter (si per possibile vel impossibile Deus eam auferret vel suspenderet posito fundamento & termino) duo parietes albi ut sex intelligerentur referri *ad se invicem formaliter, sed tantùm fundamentaliter*, quatenus convenirent in eadem albedine, quæ convenientia est fundamentum relationis similitudinis. *Et si dicatur*, quod illi parietes essent formaliter similes: distinguo: *similitudine sumpta pro ipsa relatione, nego: pro ipsa convenientia in qua relatio fundatur, concedo*. Ex quibus patet ad alia quæ subduntur in objectione.

SECTIO III.

De termino Relationis.

RELATIO, ut supra diximus, *alia est mutua alia non mutua. Mutua est illa cui ex parte alterius extremi correspondet alia relatio*, quales sunt relationes primi & secundi generis, nam paternitati e. g. correspondet filiatio & similitudini similitudo ex parte termini. *Non mutua verò est illa cui ex parte termini non correspondet altera relatio, sed quid abso-*

absolutum , ejusmodi sunt relationes tertii generis. Hoc posito sit.

§. 1.

Utrum relationes mutuæ terminentur ad absolutum vel correlativum.

SENSUS est utrum paternitas, v. g. terminetur formaliter ad entitatem absolutam filii, vel ad ipsam filiationem sibi correspondentem, seu ad filium ut formaliter sibi correlatum. Ad quod respondendo.

Dico relationes mutuas terminari formaliter ad correlativum.

Probatur: relatio mutua terminatur formaliter ad relationem alterius extremi sibi correspondentem, puta paternitas ad filiationem: ergo terminatur formaliter ad alterū extremum ut correlativum. *Probatur antecedens:* Relatio respicit formaliter terminum sibi relativè oppositum : sed sola relatio ipsi correspondens, non verò entitas absoluta alterius extremi opponitur illi relativè : ergo relatio illa, & non entitas absoluta erit ejus terminus formalis. *Major & minor hujus argumēti facili negotio suaderi possunt. Major quidem ex eo,* quod inter relationes mutuas detur oppositio relativa & reciproca, quę consistit in hoc quod relatio respiciat realiter terminum, ex quo oritur quod ei opponatur : & vicis-

vicissim terminus respiciat realiter relationem, subindeque ipsi etiam ex parte sui relativè adversetur, in quo differt à termino relationis non mutuæ, qui cùm non correferatur ad relationem, non opponitur ei relativè quantum est ex parte sui. *Ex quibus minor etiam probata relinquitur:* sola enim relatio ex parte extremi terminantis se tenens, potest ratione sui respicere aliam relationem quam terminat, non verò entitas absoluta: ergo illa sola opponitur ei relativè.

Objicies 1. Non omnis relatio mutua terminatur ad correlativum: ergo falsa conclusio. *Probatur antecedens*, relatio effectus ad causam est mutua ex sua natura, cùm sit secundi generis fundata in actione & passione, atqui illa non terminatur ad correlativū, ut patet de relatione creaturæ ad creatorem, cui non correspondet ex parte Dei relatio ad quam terminetur, alias Deus fuisset mutatus in tempore, recipiendo novam relationē ad creaturas: ergo, &c. *Idem argumentum fieri potest de relatione maternitatis in Beatissima Virgine*, cui ex parte Christi Domini non correspondet realis relatio filiationis ob incapacitatem suppositi Divini, in quo deberet recipi, & tamen relatio maternitatis ex sua natura est mutua.

Respondeo ex dictis supra distinguendo majorem: Relatio effectus ad causam *ejusdem ordinis est mutua*, concedo: ad causam *superioris*

rioris ordinis, nego. *Similiter ad minorem.* Relatio ad causam : *ejusdem ordinis*, non terminatur semper ad correlativum, nego: ad causam *superioris ordinis*, concedo : talis autem est relatio creaturæ ad creatorem. Deus enim est causa superioris ordinis & incapax relationis ad creaturas. Et idem dico de relatione maternitatis Beatæ Virginis ad Christum, cujus suppositum est Divinum atque adeò superioris ordinis.

Objicies 2. Terminus relationis etiam mutuæ debet antecedere illam : atqui relatio ipsi correspondens ex parte alterius extremi non antecedit eam, sed est simul natura cum illa, ut ex dicendis infra de proprietatibus relativorum constabit : ergo terminus relationis etiam mutuæ non est relatio seu correlatio, sed entitas absoluta termini, quæ relationem antecedit. *Major de qua sola est difficultas probatur* : illud antecedit relationem paternitatis v.g quod prærequiritur ad hoc ut illa resultet : atqui terminus prærequiritur: ergo, &c. *Probatur minor* : ex communi axiomate philosophorum dicentium, *relationem non resultare nisi posito fundamento & termino*, puta homine generante & homine genito, seu generatione activa & passiva.

Respondeo duplicem esse terminum relationis mutuæ, putà paternitatis : *unum radicalem seu materialem* , *alterum formalem* :

radicalis est entitas absoluta geniti v. g. seu quod idem est generatio passiva: formalis verò est ipsa filiatio supra illam entitatem seu passivam generationem fundata & radicata. *Quo posito distinguo majorem. Terminus radicalis debet antecedere relationem*, concedo: *formalis*, nego: & similiter minore concessa distinguo consequens: *Terminus radicalis relationis mutua* non est correlatio sed entitas absoluta, concedo: *Terminus formalis*, nego: *Adprobationem majoris*, dicendum pariter est terminum quidem radicalē præsupponi, & de illo intelligendum esse axioma illud, non autem de formali qui est simul natura in relationibus mutuis.

Instabis: Illud idem quod est ratio fundandi paternitatem v. g. est ratio terminandi filiationem: atqui ratio fundandi est quid absolutum, cum relatio nequeat fundare relationem: ergo etiam ratio terminandi erit quid absolutum.

Respondeo eodem modo: Illud quod est ratio fundandi paternitatē est ratio radicalis terminandi filiationē, concedo: ratio formalis, nego: hæc enim est paternitas. *Quæ solutio applicanda est consequenti, minori concessa.*

Vrgebis: specificativum debet antecedere rem specificatam: atqui terminus formalis relationis est specificativum ejus: ergo antecedit ipsam, subindeque erit aliquid absolutum.

Respon-

Respondeo distinguendo majorem: specificativum *per modum causæ subjecti, vel objecti, aut alicujus alterius quod causalitatem quandam respectu specificati importet* concedo: *specificativum per modum puri termini*, nego: specificativum autem formale relationis respicitur ab ipsa per modum puri termini in quo differt relatio prædicamentalis à transcendentali quæ respicit ipsum per modum causæ vel efficientis vel materialis &c.

Objicies 3. Si relativum mutuum terminetur formaliter ad correlativum, puta pater ad filium, non poterit cognosci nec definiri nisi per ipsum, siquidem relativũ nequit cognosci neq; definiri nisi per suũ terminum: consequens autem est falsum: ergo & antecedẽs. *Probatur minor*: si definiremus unum relativum per aliud sibi correlatum, idem posset poni in definitione sui ipsius: consequens est falsũ jã enim esset notius & ignotius seipso: ergo &c. *Probatur sequela majoris*, si definiremus patrem per filium formaliter ut filius est dicendo, Pater est ille qui habet filium, tunc loco filii poterit substitui definitio ejus quæ erit hæc, Filius est ille qui habet patrem, & ita definitio patris talis erit, Pater est ille, qui genuit eum qui habet patrem: atqui hoc est idem poni in definitione sui ipsius ergo &c. *Major ultimi syllogismi probatur* ex communi dicto Philosophorum asserentium, *loco nominis in definitione positi* licere

 sub-

substituere ejus definitionem, puta vivens sensibile loco animalis positi in definitione hominis, ita ut indifferenter dici possit, Homo est animal rationale, vel, Homo est vivens sensitivum rationale: ergo loco filii in definitione patris positi licebit ponere ejus definitionem.

Respondeo, concessa sequela majoris, negando minorem: ad probationem nego sequelam majoris: Ad cujus item probationem respondeo negando loco termini in definitione relationis positi posse substitui ejus definitionem: *& ad illud dictum* philosophorum respondeo id intelligendum esse de eo *quod ponitur in definitione tanquam pars intrinseca definiti*, perinde enim est quod in definitione hominis ponatur animal, vel animalis definitio, id est, vivens sensitivum; non autem de eo, quod ponitur in definitione tanquam extrinsecum connotatum aut terminus: quia scilicet terminus ponitur in definitione relativi ut terminans aut vicissim respiciens ipsum, quod minus nequit præstare per suam definitionem utpote quæ includit ipsum relativum.

§. 2.

Vtrum relatio etiam non mutua terminetur ad correlativum vel ad absolutum.

DICO *relationem non mutuam terminari formaliter ad absolutum, & non ad correlativum.*

Pro-

Probatur : Terminari ad correlativum est respicere aliud ad se mutuò relatum: atqui contra naturam relationis non mutuæ est quod respiciat aliud ad se mutuò relatum: ergo contra naturam ejus est quod terminetur ad correlativum. *Major est evidens: Minor verò probatur* : non potest aliquid mutuò referri sine relatione, sicut non potest esse album sine albedine : atqui in termino relationis non mutuæ non reperitur relatio realis ad id cujus est terminus: in hoc siquidem differt à termino relationis mutuæ : ergo terminus relationis non mutuæ, non correfertur à parte rei ad ipsam.

Respondebis: Terminum relationis non mutuæ esse relatum extrinsecè denominatione petita à relatióne existente in alio extremo, sicut paries dicitur extrinsecè visus à visione existente in oculo. Et in hoc sensu relatio non mutua dicitur terminari ad correlativum, & non eo modo quo relatio mutua cujus terminus est & dicitur intrinsecè correlativus à relatione existente in ipso.

Sed contra : quia terminus relationis non mutuæ nequit dici etiam extrinsecè relatus à relatione existente in altero extremo : ergo nulla solutio. *Probatur antecedens* : esse relatum ad aliud quomodocunque tandem , est dicere ordinem ad illud: atqui terminus relationis non mu-

tuæ non dicit ordinem ad illam, sed solùm terminat habitudinem ejus ad se: ergo nullo modo dici potest relatus ad eam. *Vnde non est paritas in exemplo adducto*: quamvis enim paries dicatur visus à visione existente in oculo, non tamen terminus dici potest relatus à relatione existente in alio extremo: *&* *ratio disparitatis est*, quia esse visum nihil aliud est quàm terminare visionem; esse verò relatum est dicere relationē ad aliud. Quod si velis ly esse relatum, esse quid commune, & ad id quod refertur, & ad id quod terminat relationem, hoc sensu nullum est inconveniens admittere relationem, non mutuam terminari ad relativum, sed hoc est abuti terminis.

Objicies 2. Relatio etiam non mutua est simul natura cum suo termino: ergo ejus terminus est quid relativum. *Antecedens probatur*, quia una ex proprietatibus relativorum ut sic est quod sint simul natura, ut infra dicetur: *Consequentia verò ex eo suadetur*, quia absolutum est prius natura relativo: ergo ut terminus relationis non mutuæ sit simul natura cum ipsa debet esse correlativus.

Respondeo 1. *negando antecedens*; esse enim simul naturâ propriè loquendo solis competit relativis mutuis *ut sectione quinta dicetur*.

Respondeo 2. relationem non mutuam esse simul natura cum suo termino reduplicati-

cativè ut terminante, non autem cum ipso absolutè & materialiter considerato, Ex quo non sequitur terminum ejus esse correlativum. Unde ad probationem consequentiæ distinguo antecedens: absolutum materialiter sumptum est prius natura relativo, concedo: Absolutum reduplicativè ut terminans relationem nego.

Objicies 2. Quod opponitur alteri relativè est relatum: atqui terminus cujuscunq; relationis etiam non mutuę opponitur ipsi relativè: ergo est relativus. *Minor probatur*: eadem oppositione opponitur terminus relationi, quâ relatio opponitur termino: atqui relatio opponitur termino relativè, ut de se constat: ergo & terminus relationi *Major probatur*; quia hæc est natura oppositorum, ut qua oppositione unum alteri opponitur, eadem alterum opponatur & ipsi.

Respondeo distinguendo majorem: Quod opponitur relativè alteri tanquam in se habens rationem formalẽ talis oppositionis, est relativum concedo: si non habeat in se sed in illo altero rationem formalem hujusmodi oppositionis, nimirum relationem, nego *In hoc ergo differt terminus relationis non mutuæ à termino mutuæ*, quod quamvis uterq; relativè opponatur relationi quam terminat, diversimodè tamen: terminus enim relationis mutuæ habet in se rationem formalem suæ oppositionis nempe relationem, ita ut ex parte

 alte-

alterius extremi relatione cessante adhuc retineret oppositionem relativam cum illo: Terminus verò relationis non mutuæ non habet in se rationem formalem oppositionis relativæ, seu relationem; unde etiam pereunte relatione ex parte alterius extremi non amplius opponitur ipsi terminus oppositione relativa. *Per quod patet ad probationem minoris*: licet enim in relativis etiam non mutuis eâdem oppositione opponatur terminus relationi, quâ relatio opponitur termino, terminus tamen non habet in se rationem formalem hujusmodi oppositionis, quod requireretur ut foret relativus.

Objicies 3. Non omnis relatio non mutua terminatur ad absolutum: ergo falsa conclusio. *Probatur antecedens*: Relatio servitutis creaturæ ad Deum v. g. est relatio non mutua, cùm Deus non sit capax mutuæ relationis ad creaturam: atqui illa nō terminatur ad Deum sub absoluta ratione Deitatis, ergo: &c. *Probatur minor*: quia aliàs illa relatio non esset quidditativè cognoscibilis lumine naturali, quod sic ostenditur, quia non potest cognosci quidditativè relatio, nisi quidditativè cognoscatur ejus terminus: atqui Deus sub ratione absoluta Deitatis nequit lumine naturali quidditativè cognosci: ergo.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem respondeo relationem servitutis creaturæ terminari ad Deum sub ratione *absolutæ*

Deitatis ut habentis potentiam dominativam & coercitivam creaturarum sibi subditarum, sub qua ratione dici potest Deum esse quid respectivum ad creaturas seu relativum secundum dici quatenus non potest intelligi nec dici aut explicari potentia illa denominativa nisi per respectum ad creaturas, non verò secundum esse, quod necessarium esset ut arguens haberet intentum: nego autem inde sequi relationem hujusmodi non posse quidditativè cognosci lumine naturali; *Et ad probationem respondeo*, ad quidditativam cognitionem relationis sufficere quod terminus quidditativè imperfectè cognoscatur. Deus autem, quamvis sub ratione absoluta Deitatis non possit perfectè quidditativè cognosci lumine naturali, bene tamen imperfectè, maximè prout importat potentiam denominativam, qua ratione terminat relationem servitutis creaturarum.

SECTIO IV.

De Unitate & Distinctione Relationum.

DICO *Unitatem specificam Relationum desumendam esse, tanquam à totali & integra causa, ab unitate specifica tam fun-*

damenti quàm termini: distinctionem verò specificam à specifica *alterius distinctione seu diversitate*.

Probatur: Unitas specifica cujuslibet naturæ sumitur ab unitate formali specificativi ipsius: atqui specificativum relationis est fũdamentum simul & terminus: ergo unitas relationis requirit unitatem formalem tam fundamenti quam termini, ita ut si alterutrũ formaliter diversificetur, diversificetur etiam specie ipsa relatio: *Probatur minor*: ab eo specificatur totaliter & complete relatio, à quo in sua ratione essentiali dependet: atqui dependet tam à fundamento quàm à termino, cum sit essentialiter ordo unius ad alterum, id est, fundamenti ad terminum: ergo specificatur ab utroque, & subinde ab utroque simul sumit suam specificam unitatem, à fundamento quidem tanquam à causa efficiente, à termino verò tanquam à causa formali extrinseca, seu melius tanquam à connotato & complemento extrinseco: *vel, ut dicunt alii, à fundamento initativè, à termino completivè.* Unde omnes relationes paternitatis sunt ejusdem speciei, quia habent idem speciè fundamentum & eundem terminum, omnes enim fundantur in potentia generativa ad actum redacta, & terminantur ad filium. Similiter dic de omnibus relationibus similitudinis inter parietes albos v. g. & sic de aliis.

Quod

F *Quodsi alterutrum, id est vel fundamentum vel terminus diversificetur, diversa etiam specie exurget relatio*: unde relatio nivis v.g. ad cygnum, quæ est similitudo in albedine, differt specie à relatione eiusdem nivis ad corvum, quæ est dissimilitudo; quia etsi habeant idem fundamentum ex parte nivis, scilicet albedinem; habent tamen diversos terminos: & è converso relatio mutua similitudinis cygni ad nivem, & relatio dissimilitudinis corvi ad eandem, sunt etiam specie diversæ; quia quamvis habeant eundem terminum, habent tamen diversa fundamenta. *Ratio autem* cur ad unitatem specificam relationis requiritur unitas specifica tam fundamenti quam termini, ad distinctionem vero sufficiat diversitas alterutrius, est quia unitas habet rationem boni, quod ex integra causa; distinctio vero rationem mali, quod ex unico defectu consurgit.

Dico 2. unitatem & distinctionem numericam relationum desumendam esse ex unitate vel distinctione numerica subjecti cui inhærent: unde in uno & eodem homine qui est pater plurium filiorum non dantur plures numero paternitates in ordine ad eos, sed illos omnes respicit una & eadem numero relatione, ob numericam unitatem subjecti, sicut è contra in pluribus filiis nequit esse una & eadem numero filiatio quia illi omnes respiciant

unum patrem, sed filiatio unius realiter numerice distinguitur à filiatione alterius, ob numericam distinctionem subjectorum.

Probatur hæc conclusio sic declarata, unitas & distinctio materialis accidentium, cujusmodi sunt relationes prædicamentales, desumi debent ab unitate vel distinctione materiæ ipsorum, quæ est subjectum: atqui unitas & distinctio numerica est materialis, sicut specifica est formalis: ergo desumi debet ex unitate vel distinctione numerica subjectorum. *Major de qua sola posset dubitari, ex eo suadetur*, quod ab eo sumi debent unitates specificæ & numericæ à quo petuntur differentiæ materiales & individuales: atqui differentia individualis petitur à materia & formalis à forma: Ergo &c. *De hoc amplius in Metaphysica par. 1. Disp. 2, sect. 2.*

Obiicies 1. Contra primam Conclusionem si ad unitatem specificam relationis requireretur unitas specifica tam fundamenti quam termini, ita ut ad diversitatem illius specificam sufficiat diversitas specifica alterutrius, sequeretur filium referri ad patrem & matrem distinctis specie relationibus: consequens non est admittendum: Ergo &c. *Probatur sequela majoris*; quia filiatio terminatur & ad patrem & ad matrem: atqui paternitas & maternitas sunt relatio-

nes specie distinctæ: Ergo si ad specificam distinctionem relationis sufficiat diversitas specifica termini, sequetur in filio esse duas filiationes.

Respondeo negando sequelam majoris: ad probationem distinguo minorem: Paternitas & maternitas sunt relationes distinctæ *specie completa & adæquata*, nego: *incompleta & inadæquata*, concedo. Quando autem dicimus ad distinctionem specificam relationum sufficere quod habeant terminos specie distinctos intelligimus de terminis specie completa & adæquata distinctis, quales non sunt paternitas & maternitas: Cum enim ambæ fundentur in unica totali, completa & adæquata generatione prolis coalescente ex concursu partiali utriusq; parentis, non possunt specie completa & adæquata inter se distingui, sed efficiunt unam completam relationem quæ est terminus filiationis.

Obiicies 2. contra secundam conclusionem: In patre duos filios habente sunt duæ paternitates numero distinctæ: ergo falsa conclusio. *Probatur antecedens*: In patre sunt duæ solo numero distinctæ paternitates, si non referatur per unam & eandem ad utrumq; filium: atqui: ergo. *Probatur minor*: Illa non est una & eadem relatio cum alia, qua pereunte, alia remanet: atqui pereunte relatione paternitatis in ordine ad alterum filium, quando obit, remanet relatio ad alium superstitem: Ergo.

Respon-

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem nego minorem: Et ad probationem eius reſpondeo negando ſuppoſitum minoris, quod nimirum pereunte uno filio, altero ſuperſtite, pereat illa relatio paternitatis quantum ad ſuam entitatem realem, ſed ſolum quoad terminationem aliquam materialem *Ratio eſt*; quia remanet adhuc terminus eius formalis in uno filio, nempe filiatio; & perit tantum terminus ejus materialis: ſeu quod idem eſt manet terminus formaliter, hoc eſt (ut dixi) filiatio quoad ſuam rationem formalem & ſpecificam, & perit tantum quoad aliquam extenſionem materialem, quia cum antea reperiretur in duplici ſubjecto. modo eſt in uno dumtaxat.

Inſtabis. Pereunte altero filio pater non refertur realiter ad ipſum, cum tamen antea referretur: Ergo perit relatio realis quia ipſum reſpiciebat.

Reſpondeo, non perire quoad ſuam realem entitatem, quia remanet ejus terminus formalis, ſed ſolum quoad unam terminationem materialem.

SECTIO

SECTIO V.

Coordinatur arbor Relationis, adducuntur eius proprietates.

CVM desint nomina diversos gradus genericos & specificos relationum exprimentia, non potest aliter eius prædicamentum coordinari, quam adducendo illius divisiones.

Relatio ergo prædicamentalis dividitur inprimis in tria illa genera relationum de quibus sect. 2. quæ genera sunt subalterna.

Deinde relationes primi generis subdividuntur in eas quæ fundantur in unitate seu convenientia, & in numero sive multiplicitate. Relationes fundatæ in unitate subdividuntur in eas quæ fundantur in unitate aut convenientia in substantia, & appellantur relationes identitatis; & quæ in convenientia quantitatis, dicunturq; relationes æqualitatis, & quæ in convenientia aut unitate qualitatis, & sunt relationes similitudinis: similiter relationes fundatæ in numero seu diversitate aliæ sunt quæ fundantur in numero aut diversitate sive disconvenientia in natura, & appellantur relationes diversitatis, aliæ quæ

quæ in disconvenientia quantitatis aut magnitudinis, & dicuntur relationes inæqualitatis; aliæ quæ in numero seu disconvenientia qualitatum, & sunt relationes dissimilitudinis.

Relationes vero secundi generis subdividuntur in eas, quæ fundantur in actione, ut paternitas, & quæ in passione ut filiatio.

Relationes tandem tertii generis seu mensurati ad mensuram, diversificantur juxta diversitatem formalem potentiarum, habituum, & aliorum quæ & à diversis objectis mensurantur. Et hæc de divisione relationum.

Prima autem proprietas relationis est, quod non habeat contrarium, intellige, ratione sui; ratione enim fundamenti potest interdum habere contrarium, quando videlicet relationes fundantur in qualitatibus contrariis, ut similitudo & dissimilitudo in albedine & nigredine. Quod autem relationes secundum se non habeant contrarietatem, patet in exemplo jam iam allato: similitudo enim & dissimilitudo saltem respectu diversorum possunt sese compati in eodem subjecto.

Secunda proprietas est, quod nulla relatio ratione sui suscipiat magis & minus, licet, ratione fundamenti id possit, paries enim albus ut tria est magis similis parieti albo ut quatuor quam sit paries albus ut unum.

Tertia

Tertia est, quod relativa dicantur ad convertentiam, id est quod unum explicetur per ordinem ad aliud in obliquo importatum, & illud vicissim explicetur per primum, sive ut alii dicunt, *dici ad convertentiam est prædicari de seipso cum implicatione alterius* ut cum dicitur, Pater est filii pater, Filius est patris filius.

Quarta, quod relativa sint simul natura quæ simultas consistit in duobus: primum est quod mutuo se inferant: secundum, quod unum formaliter loquendo inquantum relativum non sit causa alterius, nec vicissim: unde quia hæc duplex conditio non habet locum nisi in relativis mutuis, ideo in illis solis videtur etiam habere locum simultas naturæ: quamvis etiam aliqualiter videatur convenire relativis etiam non mutuis si nimirum alterum extremum, nempe terminus, accipiatur reduplicative ut terminans, puta si sumatur Deus ut Dominus reduplicative, id est, ut terminans relationem servitutis creaturarum; aut ut creator, id est ut terminans relationem creationis earundem ad se: nam sub tali reduplicatione est simul natura cum creaturis, quia valet hæc consequentia: est Dominus, ergo servus, & è converso, nec unum illorum ut sic est causa alterius. Et hæc proprietas sic explicata convenit relativis quarto modo: secus dicendum de tribus præcedentibus.

Vltima

Vltima est quod relativa sint simul cognitione & definitione, id est quod unum nequeat cognosci aut definiri nisi per aliud & vicissim, quod propriè & in rigore loquendo locum habet in rationibus mutuis, in non mutuis non ita propriè: quamvis enim relatio creaturæ ad Deum nequeat cognosci nisi cognito Deo, Deus tamen cognosci potest non cognita illa relatione. Si tamen Deus sumatur reduplicative, ut terminat illam relationem, id est quatenus est Dominus aut creator, erit simul cognitione & definitione cum illa: & hoc sensu hæc etiam proprietas convenit quarto modo.



DISPUTATIO VIII.

De Prædicamento Qualitatis.

QUALITAS generaliter loquendo dici potest *id omne quod actuat, determinat, & ut ita dicam qualificat aliud:* unde sicut potest aliquid esse actuabile & determinabile duobus modis, nempe substantialiter, & accidentaliter, ita duplex potest assignari qualitas, altera substantialis, altera accidentalis.

Qualitas substantialis appellari potest ipsa forma substantialis quatenus determinat materiam, & differentia quatenus determinat genus ad tale esse substantiale, puta, rationale.

Qualitas vero accidentalis generaliter loquendo illud omne dici potest quod modificat seu determinat substantiam ad aliquod esse accidentale & quidem si illam proprie modificet & determinet in seipsa ad aliquod esse accidentale sicut albedo ad esse album, scientia ad esse doctum, dicitur simpliciter qualitas, & constituit hoc prædicamentum, ut ex dicendis constabit: si autem vel non determinet proprie & simpliciter loquendo substantiam, ut patet de quantitate, quæ non tam determinat substantiam, quam reddit determinabilem per alia accidentia, quæ mediante quantitate recipiuntur in substantia, eamque modificant & determinant; vel non determinet illam in ordine ad seipsam, sed in comparatione vel ordine ad aliud, sicut relatio determinat subjectum in ordine ad terminum; actio passum (in quo, ut dicemus in physica) recipitur in ordine ad agens; passio in ordine ad effectum; Ubi in ordine ad locum: sic non dicitur qualitas simpliciter. His positis sit.

SECTIO

SECTIO I.

Quid & Quotuplex sit qualitas.

DICO 1. *Qualitas prædicamentalis recte definiri potest accidens completum modificativum seu determinativum substantiæ in seipsa.* Quam definitionem esse legitimam ex eo patet, quod in ea ponitur id in quo convenit qualitas, analogice saltem, cum aliis prædicamentis accidentium, nempe ly *accidens completum*; & id per quod secernitur ab illis, videlicet ly *determinativum &c.* ut enim modo dicebamus, quantitas non est simpliciter determinativa substantiæ; nec alia accidentia determinant & modificant illam absolute & in seipsa, sed in ordine ad terminunm, ubi & situs, in ordine ad locum, quando, in ordine ad tempus, habitus, in ordine ad indumentum.

Et hæc definitio est explicatio illius quæ affertur à Philosopho dicente qualitatem esse illam, *secundum quam denominamur quales*, id est accidens, quo qualificatur ut ita dicam & determinatur substantia seu subjectum, modo explicato.

Dico secundo: recte & adæquate dividitur quali-

qualitas in quatuor species: quarum prima est, *dispositio & habitus*, secunda, *potentia aut impotentia* (hoc est debilior potentia:) tertia, *passio & patibilis qualitas*: quarta, *forma & figura.*

Probatur bonitas & sufficientia huius divisionis: qualitas prædicamentalis est accidens modificativum seu determinativum substantiæ in seipsa: Ergo secundum diversas rationes modificandi & determinandi substantiam, diversæ erunt constituendæ species qualitatis, atqui quadrupliciter dumtaxat potest substantia determinari & veluti qualificari Ergo. *Probatur minor & declaratur*; substantia enim quadrupliciter potest intelligi indeterminata, & modificabilis: *primo secundum suam naturam & suum esse*; sic modificatur & determinatur *per habitum & dispositionem ad bene esse scilicet aut male, secundo quantum ad operationem* cuius est radicale principium, & sic determinatur *per naturalem potentiam aut impotentiam*, ad hoc scilicet operationum genus potius quam ad aliud. *Tertio quantum ad passionem aut receptionem aliorum quorum est capax*; & sic determinatur per qualitatem illam quæ dicitur *passio vel patibilis qualitas* quæ capacitatem illã explet & actuat: quarto *quantũ ad suam extensionem aut quantitatem*; & sic determinatur *per formam & figuram*, quæ partes, quas quantitas habet secundum se veluti

confusas

confusas & indeterminatas, ordinant & determinant ad talem vel dispositionem, non quidem in ordine ad locum, quod est proprium situs, sed in ordine ad se.

SECTIO II.

De prima specie qualitatis in habitum & dispositionem subdivisa.

DICO 1. *Ratio essentialis huius primæ speciei consistit in hoc quod sit qualitas determinans subjectum ad hoc ut bene vel male se habeat secundum esse sua natura.*

Probatur: quia in hac ratione conveniunt omnes qualitates hujus speciei & per eam differunt ab aliis: Ergo illa est propria & essentialis ratio huius primæ speciei. *Probatur antecedens*: nam sive qualitates huius primæ speciei subjectentur in ipsa natura aut substantia rei, ut sanitas, ægritudo, pulchritudo, deformitas, & ex supernaturalibus gratia quæ immediate inhæret ipsi substantiæ animæ; sive subjectentur in potentiis operativis, ut scientia, opinio, error in intellectu, virtutes & vitia in voluntate aut appetitu; omnes

omnes tamen ordinantur ad bene aut male eſſe ſubjecti. Et quidem de prioribus res eſt evidens; nam ſecundum pulchritudinem aut ſanitatem vel gratiam bene & convenienter ſe habet; ſecundum ægritudinem vero & deformitatem male & diſconvenienter, de poſterioribus autem idem dicendum eſt, quamvis enim ſcientia, virtus, & hujuſmodi ad bene vel male operandum ordinentur, quia tamen bene vel male operari, puta intelligere, vel velle conducit & ordinatur ulterius ad bene vel male eſſe ipſius ſuppoſiti, ideo ad eundem finem cenſentur ordinari illæ qualitates. Quod autem per hoc differant qualitates hujus ſpeciei ab aliis conſtat. Nam ſecunda ſpecies qualitatis conſiſtit in hoc, quod eſt diſponere ſeu determinare ſubjectum in ordine ad operationem abſolute ſumptam: Tertia in ordine ad receptionem: quarta in ordine ad extenſionem; abſtrahendo ab hoc quod eſt bene vel male.

Dico 2. prima ſpecies qualitatis ſic definita & explicata recte in habitum & diſpoſitionem ſubdividitur.

Explicatur adducendo utriuſque definitionem: *habitus enim eſt qualitas, ſecundum quam res bene aut male ſe habet, difficile mobilis: diſpoſitio vero eſt qualitas ſecundum quam res bene vel male ſe habet facile mobilis.* Quæ definitiones ſic debent intelligi, ut habitus ſit qualitas *difficile mobilis ex ſua natura: diſpoſitio*

tio vero ex natura sua sit facile mobilis à subjecto: Unde illa qualitas quæ ex natura sua est difficile mobilis, ex accidenti tamen, puta ex indispositione vel debilitate subjecti facile removeri potest ab illo, (ut scientia à tyrone, gratia, charitas, aliæque virtutes supernaturales ab homine viatore ob instabilitatem liberi arbitrii) erit essentialiter & quantum ad rem habitus, licet habeat modum seu statum dispositionis; & è contra qualitas ex natura sua facile mobilis, ut morbus, si per accidens puta ob complexionem infirmi fiat difficile mobilis, erit essentialiter & quoad rem dispositio, quoad modum vero seu statum erit habitus: qualitas tandem quæ non solum ex natura sua, sed ex omni parte est difficile mobilis dicitur habitus & secundum rem & secundum modum: quæ vero ex omni parte est facile mobilis, appellatur & secundum rem & secundum modum aut statum dispositio. Hoc posito.

Membra præfatæ divisionis sunt habitus secundum rem, & dispositio etiam secundum rem. Quod autem habitus habeat interdum statũ dispositionis, & è contra dispositio modum habitus, hoc est per accidens nec variat essentiam illorum. Hæc diligenter sunt observanda pro intelligentia statim dicendorum.

Dico 3. habitus secundum rem & dispositio secundum rem distinguuntur specie.

Probatur: quia habitus qui est talis secun-

dum

dum rem est qualitas essentialiter difficile mobilis, dispositio vero est essentialiter facile mobilis: ergo differunt essentialiter & specifice. *Probatur antecedens*: Quod cõvenit habitui & dispositioni ex propriis principiis à quibus specificantur, convenit eis essentialiter: atqui esse facile vel difficile mobiles cõvenit eis ex propriis principiis à quibus specificantur & per se pendent: ideo enim sanitas & ægritudo sunt qualitates facile mobiles de se; quia temperamentũ humorũ à quo per se pendent facile transmutari & perturbari potest; è contra vero ideo scientia & virtutes sũt difficile mobiles ex se; quia ex natura sua habent firmissimas & immobiles causas ac principia, scientia demonstrationem, virtus bonum honestum, à quo specificatur: ergo &c.

Obiicies 1. una species non potest transire in aliam: atqui dispositio potest transire in habitum: Ergo dispositio & habitus non differunt specie. *Probatur minor*: nam qualitas quæ modo est facile mobilis, potest fieri difficilè mobilis si magis radicetur & firmetur in subjecto. v. g. scientia tyronis, & virtus inchoata, & similes.

Respondeo concessa majore distinguendo minorem: Dispositio quæ est secundum rem & essentialiter talis, nego: quæ est talis solum quoad modum & statum, essentialiter vero est habitus, concedo, similiter ad consequentiam. Ergo Dispositio non differt specie ab

habitu; Dispositio secundum rem, nego: secundum modum tantum, concedo. *Ad probationem respondeo*: qualitatem, quæ est facile mobilis secundum rem & ex essentia sua, nõ posse fieri difficile mobilem essentialiter, sed solum eam quæ ex sua essentia esse petit difficile mobilis, & per accidens est facile mobilis, cujusmodi sunt scientia & virtus inchoatæ, unde non sequetur nisi quod dispositio quæ est talis secundum modum tantum, reipsa vero est habitus, possit transire in habitum etiam secundum modum.

Objicies 2. Opinio est verus habitus: atqui illa non est difficile mobilis ex propriis principiis, subindeq; nec essentialiter: Ergo. *Probatur minor* quia opinio innititur syllogismo probabili qui nõ convincit intellectum, sicut demonstrativus: ergo si ideo scientia etiam in tyrone sit ex natura sua difficile mobilis quia innitur demonstrationi tanquã propriæ causæ & principio, opinio ob orationẽ oppositam erit essentialiter facile mobilis.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens: Innititur syllogismo probabili non convincenti intellectũ de evidentia certitudinis concedo; de evidentia probabilitatis, nego.

Objicies 3. vitia sunt veri habitus: atqui non sunt difficile mobilia à subjectis ex natura sua; ergo *Probatur minor*: quia non habent causas difficile mobiles, ideo enim virtus est diffi-

difficile mobilis, quia innititur bono honesto: quod cum sit rationi consonum, est quid immobile: vitia autem non innituntur bono honesto, sed rationi dissono: ergo. &c.

Respondeo: negando minorem: Adprobationem Respondeo, vitia inniti bono proprio & & delectabili dissono rationi, quod respectu naturæ corruptæ tam firmum & immobile est quam objectum virtutis seu bonum honestum & rationi consonum respectu naturæ puræ. *In forma ergo distinguo*: Ideo virtus est difficile mobilis quia innititur bono honesto præcise, nego quia innititur bono honesto ut motivo firmo & immobili (quantum est de se) concedo. Ad minorem: vitium innititur bono rationi dissono, ut tali præcisè, nego: ut delectabili & ut motivo comparatione naturæ corruptæ & vitiatæ firmo & immobili, concedo.

SECTIO III.

De reliquis speciebus qualitatis.

SECUNDA *species qualitatis definiri potest proximum principium agendi simpliciter & absolute, vel resistendi*: sicut calor ignis est proximum principium calefaciendi, intelle-

ctus intelligendi, voluntas volendi, durities resistendi.

Explicatur hæc definitio. Qualitas dicitur *principium proximum*, *seu principium formale quo*: ad differentiam radicalis principii quod est ipsamet forma substantialis. Additur ly *principium agendi simpliciter & absolute*, in quo differt hæc secunda species à prima: licet enim qualitates primæ speciei ordinentur saltem secundario ad agendum, vel mediate ut illæ quas diximus subjectari in natura, vel immediate, ut illæ quæ potentiis operativis inhærent; nihilominus non ordinantur ad operandum simpliciter & absolute, sed ad bene aut male operandum, seu ad operationem ut convenientem vel disconvenientem naturæ subjecti: At vero qualitates hujus secundæ speciei ordinantur ad absolute & simpliciter agendum, sive ad operationem absolute consideratam, abstrahendo ab eo quod bona sit vel mala, conveniens naturæ subjecti vel disconveniens: voluntas enim quæ pertinet ad hãc speciẽ, ordinatur ad volitionem absolute; virtus vero in eá subiectata, quæ ad primam spectat ordinatur ad rectam volitionem: Intellectus similiter ordinatur ad intellectionem præcise; scientia vero ad rectam intellectionem, & sic de aliis.

Et quamvis in hoc etiam discriminentur qualitates primæ speciei; habitus nimirum & dispositio, à qualitatibus secūdæ, quod eæ dantur

dantur ad facilius posse id quod ante simpliciter poteramus, istæ vero ad simpliciter posse id quod sine ipsis nullatenus possemus præstare; hæc tamen non est essentialis & adæquata differentia inter primam & secundam speciem, quia nonnullæ primæ speciei qualitates, scilicet habitus supernaturales & infusi, ordinantur non solum ad hoc ut facilius, sed etiã ut simpliciter possimus id quod sine illis nullo modo possumus. Essentialis ergo differentia inter primam & secundam speciem qualitatis est illa quam assignavimus, in hoc sita quod hæc ordinetur ad simpliciter agendum, id est, ad operationem sub ratione indifferentis abstrahentisve à bona vel mala. secus vero illa.

Additur tandem in præfata definitione ly *vel risistendi:* quia licet resistentia non sit proprie actio, habet tamen aliquam similitudinem actionis, & ejus principium ponitur in hac specie.

Dividitur autem hac secunda species communiter in naturalem potentiam & impotentiam. Potentia dicitur principium forte & validum agẽdi vel resistendi, ut potẽtia visiva juvenis & durities adamantis. *Impotentia vero in proprosito non est idem ac privatio potentia, sed* (ut jam supra diximus) *dicitur principium debile agendi aut resistendi*, ut potentia visiva senis, & mollities in cera. Ex quo patet potentiam & impotentiam in ordine ad eundem actum &

objectum non distingui tanquam duas species, sed sicut perfectum & imperfectum intra eandem, præsertim cum eadem potentia visiva quæ modo est fortis fiat successu temporis debilis.

Tertia species dicitur qualitas sensibilis, id est, sensibus perceptibilis, quod sit proprium ipsorum objectum: ut calor, frigus humiditas, siccitas: sonus, odor, &c.

Dividitur autem in passionem & patibilem qualitatem. Passio in proposito dicitur qualitas sensibilis cito transiens: ut rubor ex verecundia. *Patibilis vero qualitas dicitur ea quæ diu permanet in subjecto:* ut rubor à temperamento naturali insitus. Quia vero cito transire, vel diu in subjecto permanere sunt differentiæ mere accidentales respectu qualitatis sensibilis, puta ruboris; inde est quod non faciunt essentialiter differre qualitatem patibilem à passione, sed solum accidentaliter.

Dices: Esse facile vel difficile mobile à subjecto, sunt differentiæ essentialiter & specifice distinguentes habitum & dispositionem inter se: ergo etiam cito transire & diu permanere in subjecto, quod idem videtur ac facile vel difficile amoveri ab illo, erunt differentiæ essentiales patibilem qualitatem à passione specifice distinguentes, puta ruborem ex naturali temperamento, à rubore ex verecundia qui cito transit.

Respondeo negando consequentiam & paritatem

tem ratio disparitatis est, quia esse facile vel difficile mobiles competit habitui & dispositioni ex natura suarum causarum à quibus per se petunt produci, subindeq; cóvenit illis essentialiter: passioni vero vel patibili qualitati non convenit cito transire aut diu permanere in subjecto ex natura causarum à quibus per se postulent produci; accidentale quippe est rubori quod producatur ab hac vel illa causa permanente vel cito transeunte, in utroq; enim casu eandem habet essentiam, eundem effectum formalem, qui est constituere hominem v.g. rubicundum: imo eadem causa, puta præsentia sanguinis in facie, si parum duret, efficit passionem, scilicet ruborem transeuntem: si vero diu permaneat, efficit patibilem qualitatem id est, ruborem diuturnum.

Dices secundò: A passione non dicimur quales, puta à rubore cito transeunte non denominatur quis simpliciter rubicundus: ergo passio non est vera qualitas nec subinde eiusdem speciei cum patibili qualitate.

Respondeo negando consequentiam neq; enim ideo non denominamur simpliciter quales à passione, quasi ipsa non sit qualitas, prout hic à nobis usurpatur; sed quia à forma cito transeunte non fit simpliciter denominatio secundum communem modum loquendi hominum, apud quos parva illa duratio pro nihilo reputatur.

Quarta denique species qualitatis, quæ formã & figuram complectitur, definiri potest qualitas disponens partes quantitatis in se, puta efficiens, ut caput sit junctum collo, &c. Dixi, *in se*: nam disponere eas in ordine ad locum efficiendo quod una sit sursum, altera deorsum, pertinet ad situm ut supra jam innuimus.

Dividitur autem hæc species, prout insinuavimus, *in formam & figuram*, quæ non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter penes hoc, quod forma est qualitas disponens partes quantitatis in rebus artificiatis, quo sensu dicitur forma turris, forma navis, &c. figura vero significat eandem qualitatem prout reperitur in rebus naturalibus quo pacto dicitur figura hominis, figura leonis, &c.

SECTIO IV.

Coordinatur prædicamentum Qualitatis, eiusque proprietates assignantur.

QUALITAS, quæ est supremum genus, *dividitur inprimis in quatuor species assignatas quæ sunt subalternæ.*

Prima species subdividitur *in habitum & dispo-*

dispositionem. Habitus rursum subdividitur *in acquisitum nostris actibus, & à Deo infusum.* Sub hoc continentur *virtutes Theologicæ lumē gloriæ, & generaliter virtutes omnes quæ nobis à Deo supernaturaliter infunduntur.* Sub acquisito vero continentur *habitus intellectuales & morales. Intellectuales alii sunt semper veri*, ut habitus primorum principiorum qui dicitur *intelligentia, habitus sapientiæ, scientiæ, prudentiæ, artis: alii semper falsi ut error, hæresis: alii sunt boni, ut virtutes; alii mali ut vitia.*

Dispositio autem continet sub se omnes qualitates corporales, quæ afficiunt subjectum ut bene vel male se habeat in se: ut sunt ægritudo & sanitas quæ resultant ex justo vel inordinato temperamento quatuor humorum aut primarum qualitatum; pulchritudo & deformitas, quæ ex figura, colore, & aliis hujusmodi oriuntur. *Sub hac etiam specie continentur illæ qualitates, quibus ex frequenti exercitio membra ad aliquem actum facilitantur*, ut est habilitas illa aut facilitas, quæ acquiritur in digitis aut manibus ad pingendum, ad pulsandam citharam, & hujusmodi; in tibiis aut pedibus ad saltandum, chorizandum, & similia. *Ratio autem hujus asserti est*) quia omnes hujusmodi qualitates causas habent de se variabiles, puta temperamentum, exercitium, aut quid simile, subindeque ad dispositionem pertinent & non ad habitum proprie.

Secunda vero species qualitatis dividitur in potentiam activam & potentiam passivam sive potius resistitivam, (quia non omnis potentia passiva est qualitas, ut patet de potentia materiæ quæ cum sit eius essentia, est consequenter substantia & non qualitas.)

Potentia activa subdividitur in immanentem quæ est principium actionis remanentis in ipso operante, *& transeuntem*, quæ est principium actionis progredientis in passum. *Rursus immanens dividitur in vegetativam, cognoscitivam, & appetitivam*. Vegetativa in nutritivam augmentativam, & generativam. Cognoscitiva in intellectivam; sub qua continentur intellectus humanus & angelicus; & sensitivam, quæ complectitur sensus internos & externos. Ad potentiam cognoscitivam reducuntur species impressa; quia ex natura sua ad illam complendam ordinantur tanquam actuum ipsius concausæ & conprincipia; licet probabile etiam sit eas sub specie habitus contineri, cum disponant subjectum ad bene esse naturæ ipsius. Species vero expressa ad dispositionem censenda est pertinere, cum etiam disponat subjectum seu intellectum convenienter ad suam naturam, & sit facile mobilis, duretque solum quamdiu actualis cognitio durat, cum tamen species impressa maneat etiam in non cogitantibus nec deleatur.

Potentia

Potentia autem appetitiva dividitur in rationalem, quæ dicitur voluntas, & sensitivam quę est duplex nempe concupiscibilis & irascibilis. Potentia verò aut virtus transiens continet sub se omnes potentias activas quæ producunt effectum in externo subjecto & agunt per actionem in illud progredientem: qualis est calor seu calefactiva potentia & similes.

Deniq; potentia passiva seu resistitiua, quæ ut suo loco definivimus est principium recipiendi aut resistendi, continet sub se durum & molle,

Ad potentiam passivam reducitur ex qualitatibus supernaturalibus, character Baptismalis, qui est qualitas supernaturalis mediante Baptismi sacramento nobis infusa, quâ simus capaces recipiendi cætera sacramenta.

Ad activam verò potentiam reducuntur, characteres Confirmationis & ordinis qui sunt actionum sacrarum principia, puta confessionis fidei coram tyranno, consecrationis Eucharisticæ &c.

Tertia species, quæ definita est qualitas sensibilis, sive sit citò transiens subindeque passio, sive diu perseverans, atque adeo patibilis qualitas dividitur in eas omnes qualitates quæ sensibus percipiuntur, nempe in colorem & lucem, quæ sunt proprium objectum visus; sonum, qui est objectum auditus; odorem, olfactus, saporem gustus, calorem frigus, humidi-

miditatem, ficcitatem tactus : hæ quatuor appellantur primæ qualitates, eò quod ex illis omnes aliæ fiunt aut resultant, suntque species infimæ, sicut etiam lux; aliæ verò ut color, sonus, odor, sapor, in alias species subdividuntur.


Quarta tandem species forma scilicet & figura continent sub se omnes formas artefactorum, puta cathedræ, domus, turris. &c. omnes figuras tam rerum naturalium, ut hominis, leonis, & similium, quàm eas quæ in Mathematicis considerantur, ut sunt triangulum, quadrangulũ, circulus, pyramis, cylindrus, figura ovalis, sphæra & hujusmodi. Quantum verò ad proprietates qualitatis.

Prima est, quod habeat contrarium quæ si intelligatur de vera contrareitate, convenit soli qualitati, sed non omni, neq; enim forma, figura, aut lux, habent contraria.

Secunda est, qualitatem suscipere magis & minus. Et hæc non convenit omni : non enim competit figuræ nec multis aliis. Convenit tamen soli qualitati, illa enim sola potest intendi & remitti, ut ibi videbimus. Et licet una albedo non possit dici modò magis modò minus albedo, quia hoc denotaret dari magis & minus in essentia ipsius quod est falsum, cum rerum essentiæ in indivisibili consistant; idem tamẽ subjectum potest dici modo magis, modo minus album secũdum eandem partem eo quod albedo potest in ea intendi aut remitti.

Tertia

Tertia tandem ejus proprietas est, quod secundum qualitatem res dicantur similes aut dissimiles, id est, quod sit fundamentum relationum similitudinis vel dissimilitudinis, modo in prædicamento Relationis explicacato: quemadmodum secundum quantitatem res dicuntur æquales vel inæquales. Et hæc proprietas convenit qualitati quarto modo.



DISPUTATIO IX.

De Sex reliquis Prædicamentis.

PRIUSQUAM de singulis his prædicamentis agamus, breviter resolvenda est quæstio illa, quâ de omnibus illis simul quæri solet *utrum sint tantum denominationes quædam extrinsecæ, an formæ intrinsecæ.* Docent aliqui esse meras denominationes extrinsecas, puta *ubi*, esse denominationem extrinsecam in corpore locato seu ubicato à loco petitam.

Dico tamen 1. *sex ultima prædicamenta non esse puras denominationes extrinsecas.*

Probatur: quia prædicamenta sunt inter

ter se primò diversa: atqui non essent primo diversa si hæc ultima consisterent in denominatione extrinseca: ergo. *Probatur minor:* denominatio extrinseca non est primo diversa à forma denominante, cùm sit ipsamet forma prout extrinsecè denominans subjectum; atqui unum prædicamentum se haberet ad aliud sicut forma denominans ad extrinsecam denominationem quā tribuit; v. g. locus qui est de prædicamento quantitatis, ad ubi, quod ut volunt nihil aliud est quàm extrinseca denominatio à loco aut superficie ambiente & locante petita: ergo illa non essent primò diversa.

Dico 2. Sex ultimas categorias esse entitates quasdam seu formalitates intrinsecas & absolutas, quæ resultant in rebus cum essentiali dependentia ab aliquo extrinseco, unde dici possunt relationes transcendentales, V. G. *Vbi* est aliquod accidens seu formalitas quædam realis & accidentalis resultans in corpore locato ex circumscriptione loci. *Hæc conclusio sequitur ex præcedenti*: si enim hæc prædicamenta non sint aliquid merè extrinsecum rebus quæ ab illis denominantur, cum aliunde sint realia, debent esse entitates aut formalittes reales rebus illis denominatis intrinsecæ

Probatur insuper: quia in singulis horum prædicamentorum tria tantum possunt considerari; primò subjectum cui insunt,

vel quod ab eis denominatur, v. g. Petrus: secundo aliquid extrinsecum, ut locus à quo oritur ubi, tempus à quo sumitur prædicamentum quando, indumentum à quo petitur categoria habitus, &c. tertiò aliqua entitas aut formalitas quâ Petrus intrinsecè afficiatur in ordine ad locum extremum v. g. quem occupat, per quam formalitatem intrinsecè denominetur præsens seu existens in hoc vel illo loco, atqui ex his tribus nihil poni potest in his categoriis nisi tertium, duo enim priora, putà Petrus & superficies locans, aut tempus extrinsecè durationem mensurans, pertinent ad alias categorias, substantiæ scilicet aut quantitatis: ergo, &c. idem argumentum fieri potest de aliis.

Dixi in conclusione, esse formalitates absolutas, contra Scotum, qui putat esse relationes quasdam, quas appellat extrinsecus advenientes, hoc est ab aliquo extrinsecus adjacente resultantes, putà ubi esse meram relationem corporis locati ad locum ambientem ex quo oritur. *Contra quem auctorem stat hoc argumentum*, quia si hæc prædicamenta essent meræ relationes, ita ut totum illorum esse, esset ad aliud se habere, collocarentur omnia sub genere relationis, & sic essent tantum quatuor categoriæ: consequens est falsum & contra omnes philosophos. ergo &c. Addidi tamen posse dici relationes transcendentales, quia hujusmodi formalitates intrin-

trinsecæ & absolutæ connotant formaliter aliquid extrinsecum, sicut ubi locum à quo dependet; Quando, tempus, habitus indumentum, actio agens, &c.

Objicies, res denominatur ubicata à loco in quo est: Ergo Ubi est denominatio extrinseca.

Respondeo distinguendo antecedens: denominatur ubicata *à loco formaliter*, nego: *causaliter*, concedo *& nego consequentiam*. Sensus est rem denominari ubicatam formaliter ab ipsa entitate sive formalitate intrinseca ubicationis; sed, quia hæc à loco dependet, dicitur denominari causaliter seu dependenter à loco.

Adverte autem sex ultima prædicamenta, imo & prædicamentum relationis, interdum appellari modos, non quod sint formalitates incompletæ quales sunt modi propriè dicti, sed quia debilissimam habent entitatem sicut illi.

SECTIO I.

De duplici Prædicamento Actionis & Passionis.

DICO primò, *supremum genus prædicamenti actionis, non est actio in tota sua lati-*

latitudine sumpta prout definitur Actus agentis, & complectitur tam actiones immanentes, id est quæ subjectantur in ipsismet potentiis eas elicientibus, ut sunt intellectio, volitio, sensatio; *quàm transeuntes, id est, quæ transeunt in materiam externam, in qua producunt aliquem effectum*, quales sunt calefactio, frigefactio.

Probatur: quia actiones immanentes non pertinent ad hoc prædicamentum, sed collocantur in categoria qualitatis sub prima specie: ergo supremum genus hujus prædicamenti non est actio in tota sua latitudine, prout complectitur actiones etiam immanentes. *Probatur antecedens*: quia actiones immanentes ordinantur vel ad bene esse sui subjecti; ut actus scientifici & actus virtutum ad bene esse intellectus & voluntatis; vel ad malè esse hujusmodi facultatum, ut actus erroris aut vitii; ergo pertinent ad primam speciem qualitatis, & quidem ad dispositionem, quia sunt facilè mobiles.

2. *Dico 2. Propria & essentialis ratio actionis; quæ est supremum genus hujus prædicamenti, in eo consistit quod sit emanatio & veluti egressus effectus ab agente in passum seu in materiam exteriam.*

Probatur: quia in hoc conveniunt omnes actiones transeuntes, quæ solæ, ut probavimus, collocantur in hoc prædicamento

camento, & differunt ab immanentibus, quæ non transeunt in materiam externam, sed in ipso agente subjectantur.

Dico 3, Supremum genus prædicamenti passionis non est passio amplissimè sumpta, prout dicit receptionem cujuscumque: sed passio strictius & magis propriè sumpta prout est receptio formæ seu effectus ab agente producti in materia externa: hæc conclusio sequitur ex præcedentibus.

Probatur: Passio enim hujus prædicamenti constitutiva est receptio illius, cujus actio constitutiva præcedentis categoriæ est productio seu emanatio: atqui actio constitutiva præcedentis categoriæ non est emanatio qualiscumque ab agente, aliàs cōplecteretur actiones immanentes; sed emanatio effectus in materiã externam progredientis: ergo etiam passio non est receptio cujuscumque, alias receptio ipsius actionis immanentis in potentia eliciente pertineret ad hoc prædicamentum, sed receptio effectus, puta caloris in materia externa: unde sicut in prædicamento actionis collocantur omnes & solæ actiones transeuntes, ita in hoc omnes & solæ passiones ex illis actionibus transeuntibus consecutæ, atque ita hæc erat legitima passionis prædicamentalis definitio, quod videlicet sit receptio effectus in materia externa.

Solet etiam *definiri actio & passio hoc modo:*

Actio

Actio est motus ut ab agente: Passio ut in passo seu subjecto, quæ definitiones coincidunt in re ipsa cum præcedentibus: motus enim est fieri ipsius termini seu ipse effectus ut in fieri; atque adeo idem est dicere, actionem esse motum ut ab agente, ac esse effectum ut ab illo, item, passionem esse motum ut in passo, ac esse effectum ut in ipso.

Ratio autem fundamentalis, omnium præcedentium conclusionum est, quia actio & passio harum categoriarum constitutivæ, sunt pura ut ita dicam actio, & puta passio, id est formaliter diversæ, & à se invicem, & à quolibet alio prædicamento, prædicaměta enim sunt impermixta: sola autem actio transiens, & passio ipsi correspondens, hoc est receptio effectus in materia externa sunt tales, nō verō actio immanens & receptio ejusdē in potentia eliciente ipsam: ergò. *Minor patebit in Physica*, ubi ostendemus in actione transeunte distingui realiter formaliter hæc quatuor, actionem, passionem, motum & terminum productum, cum tamen in actione immanente hæc non distinguantur, puta in visione, ipsa enim est actio & terminus produductus, cùm sit vera qualitas, nec sit motu propriè dicto, (ut loco illo videbimus,) subindeque non distinguitur à passione, id est à sui receptione, ubi enim non est motus à termino distinctus, non est etiam passio distincta, quæ nihil aliud est quàm motus ut in passo.

SECTIO

SECTIO II.

De Prædicamento Vbi.

VBI *communissimè sumptum dicitur id ratione cujus res constituitur formaliter in loco:* & dividi potest *in vbi Divinum*, ratione cujus Deus dicitur esse ubique; & *Vbi creaturarum*, quod appellatur *Vbi definitivum*, per quod creatura ita est in uno loco ut non sit alibi, quod est propriè rem definiri & determinari localiter. Et hoc Ubi definitivum subdividitur in *Vbi circumscriptivum*, & *Vbi definitivum specialiter dictum*, appellando nomen divisi ad unum membrum dividens ut sæpe fieri solet. *Vbi circumscriptivum est illud quod ita constituit rem in uno loco ut tota correspondeat toti loco, & partes illius partibus loci*: & hoc est proprium Ubi rerum corporearum, quæ partes habent. *Vbi verò definitivum specialiter dictum est illud quod ita constituit rem in loco, ut tota sit in toto loco, & tota in qualibet parte loci, & illud est proprium creaturarum spiritualium*, Angelus enim qui totam occuparet aulam, v.g. totus esset in tota, & totus in qualibet parte illius

lius, cum careat partibus & sit indivisibilis. His positis,

Dico supremum genus hujus prædicamenti est Vbi circumscriptivum: atque ita nec Vbi divinum, nec Vbi angelicum in hac categoria sedem habent.

Probatur primò ex trita illa definitione ubi prædicamentalis à Gilberto Porretano tradita, *Opusc. de sex principiis*, quæ sic habet. *Vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proveniens*, id est, accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci: quę definitio non convenit nisi Ubi circumscriptivo, ut de se constat: ergo illud solum constituit hoc prædicamentum.

Probatur secundò, quia nec Ubi divinum nec Ubi angelicum in hac categoria collocantur, ut in conclusione subintulimus: ergo supremum genus illius non est Ubi ut abstrahit à divino & definitivo specialiter dicto ac à circumscriptivo, sed est solum Ubi circumscriptivum. *Consequentia est evidens: Antecedens verò probatur*, & primò quoad Ubi divinum: nomine enim talis Ubi nihil potest venire intelligendum nisi unum ex his tribus: nempe vel attributum immensitatis ratione cujus Deus potest esse ubique, vel actualis diffusio aut præsentia ipsius in omni loco; quæ nihil aliud dicit ex parte Dei quã vel ipsammet ejus substãtiam nudam quam nonnulli volunt constitui per seipsam in loco,

co, vel operationem illius ad extra, quâ res producit & conservat, per quam tanquam per rationem formalem volunt alii (Thomistæ scilicet) Deum reddi rebus illis præsentem, vel tertiò respectus rationis in illa Dei reali præsentia aut diffusione fundatus, ex eo enim quod incipiat in tempore fieri præsens rebus, nõ per sui sed per illarum realem mutationem concipitur advenire ipsi aliquis respectus ad illas qui non habet esse nisi in intellectu: subsumendo autem constat nullum illorum trium poni in prædicamento hoc; non quidem ipsam immensitatem aut substantiam vel operationem Divinam, quæ sunt ipsemet Deus: nec relationem rationis; ut est evidens: ergo. *Quoad secundam verò partem sic suadetur idem antecedens*, quia in hoc prædicamento non ponitur nisi illud ubi quod est tale propriè & univocè conveniens cum ubi rerum corporearum: atqui ubi Angelicum non est propriè & univocè ubi: ergo. *Probatur minor*: eo modo convenit ubi Angelis quo convenit eis esse in loco: atqui Angelis, non convenit propriè & univocè esse in loco: sed tantum æquivocè, eo quod nõ sint in loco ut contenti ab illo, sicut corpora, sed ut continentes locũ seu ut agentes in ipsum, fiunt enim præsentes loco per operationem quâ circa illum aliquid efficiunt puta motum. Ex quibus

Inferes primò ad ubi circumscriptivum duo

duo requiri, nempe, quantitatem in re ubicabili; & locum ambientem. Ratio est, quia Ubi circumscriptivum, cum sit accidens seu modus quidam resultans in re quæ dicitur ubicata, ex circumadjacentia loci cui toti correspondet res tota, & partes partibus, impossibile est reperiri in aliquo Ubi circumscriptivum, nisi detur in eo ratio totius & partium, subindeque quantitas (quæ hujusmodi rationem tribuit, ut suprà vidimus) & insuper locus ambiens.

Inferes secundò: quòd sicut substantia materialis, & quodlibet accidens corporeum ipsi inhærens extenduntur in se & in ordine ad locum beneficio quantitatis, ita etiam ubicantur per unicum ubi ipsius quantitatis, unde in uno & eodem composito non reperiuntur multæ ubicationes.

Inferes tertiò: ex reali præsentia corporis Christi Domini in Eucharistia non resultare in eo aliquod Ubi: quia non fit præsens speciebus tanquam loco à quo circumscribatur, sed solùm sacramentaliter & indivisibiliter, ita ut totum sit sub qualibet minima particula: quamvis autem illa corporis Christi præsentia appellari soleat Ubi Sacramentale, non tamen est Ubi simpliciter, cùm non resultet ex loco, subindeque non ponitur in hoc prædicamento.

Vbi circumscriptivum solet dividi in sex species, nempe in Vbi sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum.

SECTIO III.

De Prædicamento Quando.

DIco *primo: Quando, ut est supremum genus huius prædicamenti recte definitur modus sive accidens in re durante ex adiacentia tẽporis, à quo rei illius duratio mensuratur, relictum.*

Declaratur: sicut enim ex extrinseca circumscriptione loci resultat in re locata Ubi, per quod formaliter dicitur esse in tali vel tali loco, putà sursum, deorsum, &c. Sic ex adjacentia extrinseca temporis mensurantis durationem resultat in re durante Quando, per quod formaliter dicitur esse in tali vel tali tempore, ut Heri, Cras, &c. Unde sicut Ubi supponit ex parte rei locatæ quantitatem ipsi intrinsecam, per quam res illa fit apta ut ubicetur; & supponit etiam locum ex cujus extrinseca mensuratione seu circumscriptione resultat, & propterea Ubi neque est quantitas rei locatæ, neque locus ipse, sed quid ex loco relictum in re quanta; sic Quando supponit durationem ex parte ipsius rei, ratione cujus apta sit mensurari extrinsecè à tempore, supponit etiam tempus ipsum in quo sit res, & à quo extrinsecè mensuretur; subindeque Quando nec est duratio intrinseca rei à

tem-

tempore mensuratæ, neque ipsum tempus mensurans (quæ ambo potius ad prædicamentum quantitatis spectant) sed quid relictum in re durante ex eo quod à tempore extrinsecè mensuretur.

Species autem huius categoriæ sunt E. G. Hodie, Cras, Heri, nudius-tertius, Anno Superiori, &c. Ad quæstionem enim quando res fuerit, sit, aut erit, his terminis respondemus, qui proinde varias hujus prædicamenti species significant.

SECTIO IV.

De prædicamento situs.

DICO primò: *Situs est accidens quoddam seu modus intrinsecus disponens partes rei locatæ in ordine ad locum.*

Declaratur: in hoc quod dicitur accidens seu modus intrinsecus, convenit analogicè cum aliis prædicamentis accidentium, præsertim cum ultimis quinque, quæ licet sint accidentia in propriis generibus suo modo completa sicut præcedentia, appellantur tamen modi propter suæ entitatis debilitatem. Per subsequentes verò particulas differt situs ab illis. Est tamen dubium utrùm differat ab Ubi, pro cujus resolutione

Dico: situs differt ab Ubi.

Probatur: quia Ubi est accidens seu modus

intrinsecus rei locatæ ex circumscriptione loci proveniens, ratione cuius res locata cōmensuratur loco; ita ut una pars sit extra locum alterius: atqui situs addit supra hoc talē vel talem dispositionem partium in ordine ad locum, ratione cuius una est sursum, altera deorsū, una recta, altera curva, &c. Ergo situs est aliquid ipsi Ubi superadditū & ab eo distinctum. Quod confirmatur, quia variato Ubi potest manere idem situs, puta sessio in navi variante locum, subindeque & Ubi:

Dividitur autem situs in naturalem, & præternaturalem. Situs naturalis est dispositio partium corporis à natura ipsi conveniens, ut quòd caput hominis sit in Superiori loco (juxta illud, *os homini sublime dedit cœlumque videre*) aliæ verò partes in inferiori magis vel minus. Præternaturalis verò situs est dispositio partium ad libitum acquisita, ut sessio, statio, cubatio, & similes.

SECTIO V.

De prædicamento Habitus.

DICO: *Habitus ut constituit hoc prædicamentum est accidens resultans in subjecto vestito, ex adjacentia indumenti.*

Declaratur: non enim in præsenti sumitur Habitus

Habitus pro prima specie qualitatis: nec etiã pro aliqua forma; aut formæ possessione de qua dicimus, à privatione ad habitum non dari regressum: nec etiam pro ipsa veste; sed pro aliquo accidente resultante in eo qui habet vestem, ex circumadjacentia ipsius vestis, per quod accidens tanquam per rationẽ formalem intrinsecam dicatur vestitus; eo modo quo ex adjacentia loci, & temporis resultant Ubi & Quando, per quæ tanquam per rationes formales intrinsecas res dicuntur esse in loco aut in tempore.


Dividitur autem Habitus in totidem species diversas quot sunt diversa ornamenta tam toti corpori quàm singulis partibus congruentia. Et sic potest primò dividi in Habitum qui resultat ex adjacentia armorum, ratione cujus homo dicitur armatus, galeatus, &c. In eum qui resultat ex adjacentia vestium, qui potest subdividi in varias species secundùm varia genera indumentorum, ut in eum qui resultat ex toga, ratione cujus homo dicitur togatus, &c. Hæc de prædicamentis.

Quæres tamen adhuc utrùm illa omnia realiter inter se distinguantur.

Respondeo de aliquibus certum esse distingui, nempe de substantia, quantitate, qualitate, & relatione: quandoquidem quantitas potest esse sine substantia, ut constat in mysterio Eucharistiæ: potest etiam destrui qualitas, puta albedo remanente sub-

ſtantia, & quantitate; & idem de relatione conſtat ex dictis in eius categoria. Quantùm verò ad alia ſex idem dicendum cenſeo, ſi quodlibet illorum ſit forma quædam intrinſeca & abſoluta,& poteſt hac ratione,quæ de omnibus decem prædicamentis procedit, *probari.* Nam quæ ſunt à parte rei primò diverſa, realiter & ante omnem mentis operationem debent diſtingui:atqui decem ſuprema genera ſunt à parte rei primò diverſa, ſeu habent eſſentias diverſas ante omnem mentis operationem, & in nullo univocè convenientes: ergo. Iuxta opinionem verò illam quæ tenet ſex ultima prædicamenta eſſe denominationes tantùm extrinſecas, (quod procul dubio ſatis probabile videtur de Ubi, Quando,& Habitu) dicendum eſſet illa tria non diſtingui realiter ab aliis, quandoquidē Ubi nihil aliud eſſet quam ſuperficies ambiens, quæ eſt quantitas, & Quando nihil aliud quàm tempus extrinſecè menſurans, quod ad idem prædicamentum ſpectat: ſimiliter Habitus nihil eſſet niſi veſtimentum ipſum ut tegens corpus ipſumque denominans extrinſecè veſtitum.

DIS-



DISPUTATIO X.

De post prædicamentis.

POST PRÆDICAMENTA *dicuntur affectiones quædam seu proprietates consequentes ad prædicamenta, aut quæ inter ipsa ad invicem comparata reperiuntur*, in nullo tamen illorum ob suæ entitatis debilitatem & incompletionem directè collocantur: hujusmodi autem sunt quinque, *oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi.*

SECTIO I.

De oppositione.

OPPOSITIO alia est rerum, alia propositionum: de secunda, egimus in parva logica: de prima verò, quæ constituit hoc primum postprædicamentum, subindeque est aliud reale, agemus hic. Ad eam verò exigitur inprimis distinctio inter illa quæ dicuntur opponi, idem enim nequit opponi sibi

ipsi: hæc tamen distinctio non sufficit, sed insuper necessaria est repugnantia, ratione cuius ea quæ dicuntur opposita eidem simul nequeant convenire. *Et sic oppositio latè sumpta definitur repugnantia aliquorum quæ simul eidem convenire non possunt*: quo pacto comprehendit etiam disparata, quæ tantùm impropriè opposita sunt, ut arbor, & equus, neque enim hæc gaudent speciali oppositione.

Oppositio autem strictè sumpta, prout dividitur in quatuor genera oppositionum, scilicet in oppositionem relativam, contrariam, privativã, & contradictoriam, definitur repugnantia determinata aliquorum inter se. In hoc enim differt ab oppositione disparata, quòd hæc indifferenter dicit repugnantiam cum omnibus cum quibus in essentia non convenit, oppositio verò strictè sumpta determinatam importat repugnantiam unius extremi cum altero cui directe opponitur: hoc modo album opponitur nigro, virtus vitio.

Oppositio relativa est repugnantia seu incompossibilitas duorum extremorum orta ex respectu seu relatione quam inter se important: & quidem si relatio fuerit mutua, oppositio erit etiam reciproca; si vero relatio sit in altero tantùm extremo, oppositio relativa erit non mutua.

Oppositio contraria est repugnantia duarum formarum absolutarum, & positivarum quæ sub

sub eodem genere maximè distant & ab eodem subjecto mutuò se expellunt: ut frigus & calor, albedo & nigredo, virtus & vitium, quæ sub eodem genere qualitatis continentur. *Adverte autem quædam contraria habere medium, ut* album & nigrum, inter quæ mediat viride & cæruleum, sicut inter frigidum, & calidum mediat tepidum: *quædam verò esse immediata*, ut justitiam, & injustitiam.

Oppositio privativa est repugnantia inter formam & carentiam eius in subjecto apto ad illam habendam: qualis oppositio est inter visum, & cæcitatem. Explicando hoc genus oppositionis fecit mentionem Aristoteles illius axiomatis, *à privatione ad habitum non datur regressus*, per quod distinguit oppositionem privativam à contraria, in contrariis enim fit indifferenter mutatio ab uno ad aliud, ut dū subjectum ex calido fit frigidum, & rursum ex frigido calidum: sed in privativè oppositis, etsi è vidente possit fieri cœcus, non tamē ex cœco videns. *Hoc tamen axioma non videtur universaliter admittendum*, ignorantia enim est privatio scientiæ, & nox seu tenebræ privatio lucis, & tamen ab ignorantia ad scientiam, à tenebris ad lucem datur regressus. *Verùm respondeo explicando illud axioma*, duplicem esse privationem: aliam quæ tollit actum solùm, seu actualem possessionem formæ, ut ignorantia possessionem scientiæ, & nox præsentiam lucis: aliam quæ non solùm

 lùm

lum aufert actum, sed etiam potentiam, ut cæcitas facultatem videndi; *a privatione hoc secundo modo ad habitum non datur regressus naturaliter, & hoc modo intelligitur axioma: à privatione autem primi generis, quales sunt ignorantia & nox seu tenebra; datur regressus.*

Oppositio tandem contradictoria est incompossibilitas inter ens & non ens: ut cum dico homo, non homo: quæ dicitur & est omnium maxima oppositio, quia inter opposita contradictoria non datur medium, sicut datur inter alia: nam inter contraria datur medium participans ex utroque extremo, V. G; tepidum ex frigido & calido, vel saltem commune subjectum cui possunt successivè convenire: inter privativa etiam datur commune subjectum, ut per se patet: & insuper inter eadem privativè opposita, sicut etiam inter opposita relativè datur medium per negationem extremorum; puta lapis qui nec est videns nec cæcus, nec Pater nec Filius: at verò inter contradictoria nullum tale datur medium, quodlibet enim est vel non est.

SECTIO

SECTIO II.

De prioritate, simulate, motu, & habere.

SECUNDUM *postprædicamentum est prioritas*, quæ est præcipuè triplex, *alia temporis, alia naturæ, alia quæ dicitur prioritas subsistendi consequentiâ.*

Prius tempore dicitur illud quod antecedit aliud duratione aliqua reali temporis, aut certè instanti reali ipsius.

Prius verò naturâ dicitur illud quod est quidem simul tempore, & in eodem instanti reali cũ alio, attamen aliud dependet realiter ab ipso; quo modo rationale antecedit risibile. Quæ prioritas naturæ subdividitur in prioritatem *a quo* & *in quo*. Prioritas naturæ *in quo* est quando unum dependet ab altero quod dicitur prius, & non vicissim istud ab illo: ut in exemplo adducto, risibilitas enim oritur & dependet à rationalitate, & non è converso; ideoque illa est prior, ista posterior, instanti *in quo*: & dicitur *in quo* quia est veluti instās, non temporis, sed naturæ aut rationis ratiocinatæ, in quo illud quod dicitur prius, intelligitur esse sine posteriori. Prioritas verò *à quo* est quando illa quæ sunt simul tempore,

mutuò à se dependent, nec unum intelligitur esse sine alio, unde est prioritas, & posteritas mutua: qualis reperitur inter materiam & formam.

Prius denique subsistendi consequentiâ, dicitur illud à quo nō valet consequentia ad aliud, bene autem è contra ab isto ad illud: qua ratione omne superius dicitur prius suo inferiori, putà animal homine: ab animali enim ad hominem nequaquam valet consequentia, dicendo, est animal, ergo est homo; valet tamen è converso ab homine ad animal, dicendo, est homo, ergo est animal.

Aliqui prater istas prioritates aliam admittunt, voluntque concedendam esse in Divinis, quam appellant *prioritatem originis*, quâ dicunt Patrem æternum esse priorem Filio, quatenus Filius ab eo procedit, & utrumque priorem esse Spiritu Sancto qui ab ipsis originem ducit. Verùm quia juxta Symbolum Athanasii in Trinitate nihil prius aut posterius, nō est admittenda aliqua prioritas inter personas Divinas, quia malè sonat, sed tātùm *ordo originis*, quatenùs Filius ducit originem à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque, absque ulla tamen dependentia quam prioritas & posterioritas naturæ important.

Tertium postpradicamentum est simultas, quæ pariter est triplex: *una temporis*, quo modo rationale & risibile sunt simul: *altera natura*, qualis reperitur inter relativa quæ se mutuo

ponunt

ponunt & destruunt, & unum non est causa alterius: vide quæ de hac simultate diximus in prædicamento relationis: *tertia denique est simultas subsistendi consequentia*, quæ est idem ac convertibilitas, est enim inter illa quæ se mutuo inferunt, quamvis unum sit causa alterius, subindeque prius naturâ illo: quo modo rationale & risibile sunt simul.

Quartum postprædicamentum est motus, de quo aliquid diximus in prædicamento quãtitatis, & fusius agemus in physica. *Sex autem enumerantur species eius, scilicet generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & motus localis:* non quod sint propriè species, cum motus non sit propriè genus ut pote ens incompletum, sed impropriè, eo sensu quo quælibet membra dividentia consueverunt appellari species.

Vltimum postprædicamentum est habere, seu modus habendi, qui est multiplex: *primus est modus habendi, per inhærentiam*, quo pacto substantia dicitur habere accidens: *secundus per continentiam seu inclusionem*, quomodo vas dicitur habere aquam: *tertius per possessionem*, ut homo agrum: *quartus per relationem* ut pater filium: *quintus per circum se positionem*, ut homo vestem, arma, ex quibus resultat Habitus qui est unum ex prædicamentis: & hæc de prima parte logicæ, seu de intentionibus primæ mentis operationis directivis.



SECUNDA PARS

LOGICÆ.

De ente rationis directivo secundæ operationis intellectus.

SCILICET

De Enuntiatione.

EXPLICATIS *secundis intentionibus, quarum notitiâ dirigitur prima operatio mentis seu simplex objecti apprehensio, ad eas progredimur, quæ dirigunt secundam, scilicet judicium:* (qui actus dicitur compositio dum affirmat unum de alio, quia hoc est veluti ipsum componere cum eo; dum verò negat, appellatur divisio, quòd veluti unum ab alio separet.) sicut autem prima operatio dirigitur notitiâ definitionis, divisionis, generis, differentiæ, & hujusmodi quæ per illam fiunt, ita hæc per notitiam propositionis & aliorum ad ipsam spectantium, quæ pariter per eam fabricantur;

tur; de quibus proinde per se agitur in hac parte.

Inscribitur autem pars hæc à Philosopho περὶ ἑρμηνείας, id est, de interpretatione: quia propositio quæ hic per se consideratur tanquam proprium hujus partis, objectum, est veluti nostræ mentis interpres, illa enim est quâ conceptus nostros aliis aperimus & manifestamus.

Quia verò propositio constat nominibus tanquam partibus (quæ inde termini appellationem sortiuntur ut diximus parte prima logicæ parvæ) & verbo tanquam copulâ partes hujusmodi uniente; oratio vero se habet ut genus ad illam; insuper hæc omnia in ratione signi conveniunt; ideò de signis, nomine, verbo, & oratione prius hic agitur, & deinde de ipsa enuntiatione.

Signum autem in communi est id omne quod potentiæ cognoscitivæ aliquid aliud à se repræsentat. Ex qua definitione patet signum dicere habitudinem repræsentativi ad rem repræsentatam, & insuper ad potentiam cui illam repræsentat.

Dividitur autem primò penes habitudinem ad potentiam, in signum formale & instrumentale. Signum formale, seu ut alii vocant internũ, est illud quod est intra ipsam potentiam, & absq; prævia sui cognitione aliud à se repræsentat: ut species impressa & expressa, seu conceptus qui non debent necessariò cognosci, veluti per reflexionẽ,

ut res

res repræsentatas his meditantibus attingamus. *Signum verò instrumentale seu extremum est illud quod est extra potentiam, & ex praexistente sui cognitione aliquid aliud à se repræsentat* sicut vestigium bovis deducit in cognitionem eius, fumus repræsentat ignem, voces significant res. Et hoc signum est quod definitur à Divo Augustino dicente, *Aug. 2. Doct. Christ. cap. 1. signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire.*

Dividitur secundò penes ordinem ad rem significatam seu repræsentatam, in signum naturale, & ad placitum. Primum est quod ex suâ naturâ aliquid aliud à se repræsentat, ut fumus ignem, conceptus seu species expressa & etiam impressa, res ipsas, cum enim sint à parte rei formales similitudines illarum, consequens est ut ex naturâ sua, circumscriptâ omni humanâ institutione, eas repræsentent.

Secundum est quod ex liberâ hominum impositione tantum repræsentat, cujusmodi sunt voces quæ imposita sunt ad significandum.

Adverte autem in hoc convenire conceptus, voces, & scripturam, quod significent seu repræsentent res ut quod, quia scilicet ad eas significandas seu repræsentandas ultimo ordinantur: in hoc verò differre, quod voces & scriptura significent etiam conceptus ut quo & minus principaliter, juxta illud Philosophi, Voces sunt earum quæ in anima sunt passionum (id est conceptuum

tuum) *nota*, quod idem de scriptura dicendum esse constat. *Et ratio est*, quia, illud significant voces, & scriptura *ut quo*, quo mediante significant res: atqui non significant res nisi mediantibus conceptibus quos de illis prius efformamus, nisi enim temerè & picarum aut psittacorum more loquamur, ea tantum voce exprimimus, quæ antea intellectu, vel saltem imaginatione concepimus, præsertim cum vox finiri soleat, *sonus ore animalis prolatus cum imaginatione aliquid significandi*. His positis.

Nomen definitur vox significativa ad placitum sine tempore cuius nulla pars separata significat.

Verbum verò vox significativa cum tempore, cuius nulla pars separata significat, & est eorum quæ de aliquo dicuntur nota (*id est copula.*)


Oratio denique, vox significativa ad placitum cuius partes separatæ significant.

Explicantur hæ definitiones: *conveniunt nomen, verbum & oratio in ratione vocis significativæ ad placitum*, seu ex libera hominum impositione, & discernuntur per hoc à vocibus non significativis seu quæ ab hominibus adhuc impositæ non sunt ad significandum, ut blittiri, scindapsus, & hujusmodi: *conveniunt insuper nomen, & verbum in hoc quod sint voces incomplexæ quarum partes separatæ non significant juxta significationem totius,*

tius, ut aliàs in tractatu de terminis explicatum est: & differunt per hoc ab *oratione quæ est vox complexa seu ex pluribus vocibus composita, quæ eodem modo significãt separatim sumpta quo dum orationem integrant*. Differunt verò nomen, & verbum inter se in hoc *quod verbum consignificat tempus, id est significat rem aliquam ut conjunctam cum certo & determinato tempore, præsenti, præterito, aut futuro.* V. G. Amo significat dilectionem seu amorem non utcumque, sed ut conjunctum cum tempore præsenti, Amavi cum tempore præterito, amabo cum futuro, & idem est de participio quod sub nomine verbi comprehenditur ut amans, amaturus, *&c. nomen vero significat sine tempore* V. G. Amor, ut est nomen significat absolutè dilectionem non consignificando tempus, sed abstrahendo à quocumque tempore. Insuper differunt, *quod verbum sit eorum quæ de altero dicuntur nota, id est copula seu unio conjungens prædicatum cum subjecto de quo dicitur: nomen verè non est unio, sed pars unita, id est ipsum prædicatum aut subjectum.*

* * *

IN



IN DVOS LIBROS

PERI-HERMENIAS,
Aristotelis.

DISPUTATIO VNICA.

De propositione.

QUID & quotuplex sit propositio,& quænam eius proprietates,sufficienter explicuimus in parva logica : duo tantum in duabus sequentibus sectionibus supersunt hic resolvenda.

SECTIO I.

Vtrum propositio sit simplex qualitas.

PROPOSITIO, ut vidimus loco citato, est, *Oratio enuntians unum de alio, aut, significans verum vel falsum* : quæ posterior definitio est solum descriptiva, prior vero essentialis.

Dividitur autem quantum attinet ad propositum; *in propositionem mentalem*, vocalem & scrip-

& scriptam. De vocali aut scripta non procedit quæstio in titulo proposita, certum enim est apud omnes illas esse compositas ex multis vocabulis prolatis aut scriptis: sed de sola mentali: *pro cuius intelligentia.*

Adverte primò hunc esse processum nostri intellectus, ut antequam propositionem efficiat, aut unum extremum alteri uniat prius saltem naturâ unum conceptum prædicati, & alterum subjecti per simplicem ipsorum apprehensionem efformet; deinde verò si sibi visum fuerit, unum illorum extremorum de alio affirmet aut neget. Vnde etiam

Adverte secundò propositionem mentalem posse distingui duplicem, *alteram apprehensivam, judicativam alteram. Prima est, quando solum apprehendimus subjectum, prædicatum, & copulam ipsius enunciabilis, suspendendo adhuc judicium,* quod contingit præsertim quando res nobis est incerta, ut cum quis profert mihi hoc enunciabile, Astra sunt paria: & de hoc non procedit difficultas, indubitatum enim est illam esse compositam seu conflatam ex ipsis simplicibus conceptibus subjecti, prædicati, & copula. *Secunda verò est quando unum extremum alteri determinatè judicando attribuimus per affirmationem. aut ab eo removemus per negationem.* In quo actu judicii tria sunt consideranda: *primum est ipse actus judicans, unumque de alio effectivè enuntians, alterum objectum illius*

illius actus nempe enuntiatio illa quam facit, sive unio inter prædicatum & subjectum ex illo actu resultans, *quæ dicitur propositio objectiva: & tertium, species expressa per illum actum formata, seu conceptus aut verbum mentis repræsentans unionem illam objectivam:* quæ proinde species expressa aut verbum enuntiationem objectivam repræsentans dicitur *propriè propositio formalis, & mentalis.*; sicut propositio vocalis dicuntur voces eandem objectivam enuntiationem significantes. Unde de illo conceptu procedit quæstio, *an videlicet sit unicus & simplex, vel multiplex*, & compositus, Pro resolutione.

Dico propositionem mentalem esse simplicem qualitatem & non ex multis conceptibus formaliter compositam.

Probatur: Propositio mentalis nihil aliud est quam conceptus repræsentans unionem prædicati cum subjecto factam per actum judicii: atque ille conceptus est unicus & simplex, atque adeo simplex qualitas, conceptus enim mentis seu species expressa in prima specie qualitatis ponitur, ut suo loco diximus; ergo propositio mētalis est simplex qualitas. *Major relinquitur manifesta ex dictis. Minor verò probatur:* Conceptus mentis unico actu efformatus est unicus & simplex; unius enim actionis non potest esse nisi unus terminus, aut unus primarius effectus.

qualis

qualis est conceptus seu species expressa respectu actus intellectus: sed conceptus repræsentans compositionem prædicati cum subjecto efformatur per unicum actum judicii: ergo. Et probatur minor: quilibet enim actus intellectus efformat verbum, seu speciem expressam repræsentantem totum id quod per hujusmodi actum attingitur: sed per unicum actum judicii attingitur unio prædicati cum subjecto, siquidem in hoc differt actus ille ab actibus simplicis apprehensionis, quod isti feruntur in extrema & copulam seorsim, actus vero judicii per se primo in unionem extremorum, quod non est ferri in plura ut plura sunt, sed in plura ut unum: quod addo pro solutione alicujus tacitæ objectionis quâ dici posset & objici, unum & eundem actum non posse ferri in plura: ergo &c.

Objicies primo. In hoc differt intellectus noster ab Angelico, quod Angelicus per simplicem intuitum simul penetrat totum id quod est in objecto; noster vero intelligit componendo & dividendo, unde actus judicii in nobis dicitur compositio aut divisio: ergo propositio mentalis, quæ per actum judicii efformatur, erit qualitas composita. Probatur consequentia: terminus enim compositionis seu actus componentis est compositus: sed propositio mentalis est terminus aut effectus actus componentis: ergo est composita.

Respon-

Respondeo differentiam stare in hoc, quod intellectus noster debet prius apprehendere diversis conceptibus prædicatum & subjectũ, & postmodum componere unum cum alio, vel illud ab eo dividere & removere non quidem ex parte conceptus formalis, sed objectivi; unde sequitur solum propositionem objectivam esse compositam, non vero formalem: At vero intellectus Angelicus nullo prorsus modo componit aut dividit, sed sicut in principiis videt conclusiones, & ideo non discurrit, ita in subjectis videt prędicata quæ conveniunt aut repugnant ipsis, & ideo non opus habet ea cum ipsis componere per affirmationem, aut removere ab eis per negationem. *In forma igitur distinguo secundam partem antecedentis & nego intellectum nostrum intelligere componendo aut dividendo ipsos conceptus formales, sed solum conceptus objectivos prædicati, & subjecti illis conceptibus formalibus correspondentes: unde & nego consequentiam. Ad probationem distinguo minorem, negando propositionem mentalem esse terminum actus, qui formaliter, seu ex parte ipsius formalis conceptus sit componens, sed solum objectivè seu ex parte objectivi conceptus*: unde etiam distinguo in forma consequens: ergo est composita, *formaliter & ex parte sui*, nego: *objectivè seu ex parte subjecti repræsentati*, concedo, quod est dicere propositionem objectivam (quæ non est qualitas, sed sunt res ipsæ seu conceptus objectivi

objectivi (esse compositam supple compositione rationis.)

Obiicies secundo : propositio vocalis est composita ex pluribus vocibus: ergo & mentalis ex pluribus conceptibus. *Probatur consequentia:* quia propositio vocalis est signum mentalis: ergo si illa sit composita, etiam hæc.

Respondeo negando consequentiam : hoc est enim de perfectione intellectus nostri, quod unico verbo mentali seu conceptu repræsentet unionem prædicati cum subjecto, quæ non potest nisi per plures voces significari, juxta illud, *quæ sunt divisa in inferioribus sunt unita in superioribus. Vnde etiam ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam:* ex eo enim quod signum sit aliquid compositum ex multis, non sequitur rem significatam debere esse compositam, quia possunt plura significare unum, sicuti unum quid potest significare plura, ut hæc vox *Canis.*

SECTIO II.

Vtrùm Propositiones Contradictoriæ de futuro Contingenti sint determinatè veræ aut falsæ.

CERTUM *est primò contradictorias de præsenti aut præterito esse determinatè veras aut falsas:* ut, Petrus disputat, Petrus non disputat, Petrus disputavit, Petrus non disputavit, quia objectum illarum, seu id quod affirmant aut negant, est jam determinatum per hoc quod habet à parte rei, aut habuerit existentiam, vel determinatè non habet aut non habuerit illam: subindeque propositiones illæ sunt determinatè conformes vel determinatè difformes illi rei quam enuntiant, in qua conformitate vel difformitate consistunt veritas vel falsitas.

Certum est secundò propositiones etiam de futuro contingenti esse determinatè veras aut determinatè falsas ab æterno in quolibet instanti reali, quia res quas enuntiant sunt ab æterno determinatæ à Deo ut eveniant, aut ut non eveniant tempore futuro. *Sed difficultas est maxima utrùm in eo instanti rationis seu in priori illo in quo concipimus Deum antecedere*

secundùm nostrum modum intelligendi sua decreta libera & æterna quibus rerum futuritionem determinavit, propositiones de rebus illis futuris intelligantur esse determinatè vera aut determinatè falsa, puta ista, Petrus disputabit, Petrus non disputabit. Quod idem est ac quærere, *utrum illæ propositiones de futuro sint vera determinatè aut falsæ dependenter à decreto Dei rei futuritionem determinante, vel independenter ab illo; & hoc si loquamur de veritate aut falsitate hujusmodi propositionum, rerumque futuritione, per ordinem ad causam primam. Quod si de illis agamus præcisè in ordine ad causam secundam, quæst. erit utrum prædictæ propositiones, Petrus disputabit, Petrus non disputabit, sint determinatè vera aut determinatè falsæ antecedenter ad determinationem Petri quâ se disputaturum decernit, & independenter ab illa; vel solum dependenter ab ea, & illa præsupposita. Ad quam percelebrem quæstionem respondendo*

Dico propositiones de futuro contingenti non esse determinate veras aut determinate falsas antecedenter ad determinationem causæ præsertim primæ, & independenter ab illa. Dixi de futuro contingenti, i. de re quæ potest evenire vel non evenire: certum enim est propositiones de futuro necessario, id est quod non potest non evenire, esse determinate veras independenter ab omni causæ liberæ decreto, seu determinatione, & propositiones de futuro impossibili,

sibili, id est, quod non potest evenire, esse determinatè falsas.

Probatur Conclusio: Propositio determinatè vera est illa, quæ est determinatè conformis suo objecto, seu rei per eam enuntiatæ, falsa verò quæ est difformis: atqui propositiones de futuro contingenti ante omnem causæ determinationem, nec sunt determinatè conformes, nec determinatè difformes suis objectis: ergo nec veræ nec falsæ ante illam. *Probatur minor*, non possunt esse determinatè conformes, aut difformes suis objectis, nisi talia objecta sint determinatè futura, aut determinatè non futura: atqui antecedenter ad omnem causæ determinationem nec sunt determinatè futuræ, nec determinatè non futuræ: ergo. *Major est evidens*. cùm enim propositiones illæ affirment aut negent res fore, non erunt conformes illis rebus, nisi res illæ verè sint futuræ. *Minor verò probatur*; omne quod est determinatè futurum, vel est tale ex se & ex sua natura independenter ab alio, vel est tale ratione alterius, nimirùm ex sua causa determinante ipsius futuritionem: sed illud quod enunciatur per propositionem de futuro contingenti, putà disputatio Petri, neutro modo est futurum determinatè antecedenter ad determinationem causæ, non quidem ex se & ex sua natura, alias necessariò eveniret, & non

esset contingens, nec dependenter à determinatione suæ causæ, cùm illam antecederet: ergo nullo modo est futurum in illo priori.

Respondebis rem illam quæ enuntiatur, nec esse futuram ante decretum Dei seu causæ determinationem, ex se & ex sua natura, nec ab alio seu dependenter à sua causa, ut convincit argumentum, sed esse futuram & verè enunciari talem ex suppositione quod aliquando erit.

Sed contra, quia suppositio illa eventus pro tempore futuro est nulla & nullum planè habet fundamentum antecedenter ad causæ determinationem; ergo ex vi illius suppositionis imaginariæ res non potest dici determinatè futura, nec subinde enuntiato determinatè vera. *Probatur antecedens*, quia antecedenter ad causæ determinationem res est omnino indifferens, & non potest potiùs supponi quod eveniet quàm quod non eveniet, nam vel illa suppositio eventus potiùs quam non eventus fundaretur in causa determinante hujusmodi rei eventum, vel in ipsa natura rei quæ postulat ut eveniat: neutrum dici potest, cùm causa tunc supponatur adhuc indeterminata, & effectus, seu res illa ex se sit omnino indifferens, ut eveniat, ergo suppositio illa eventus rei nullum ante causæ determinationem habet fundamentum.

Dices, illam fundari in ipsomet eventu

rei

rei, quia videlicet ita de facto continget aliquando quòd res illa ponatur à parte rei.

Sed contra: quia antecedenter ad causæ determinationem ille eventus est omnino incertus, cùm res sit plane indifferẽs ut eveniat aut non eveniat, ergo hujusmodi suppositio futuri eventus est plane fictitia omnique caret fundamento, antequam causa se determinet ad ponendum illum effectum à parte rei pro tempore futuro. *Ex quibus omnibus.*

Inferes Deum non cognoscere futura contingentia, nisi post decretum, quo illorum futuritionem determinat, cùm in signo seu instanti rationis antecedente illud non sint futura, sed tantùm possibilia subindeque non nosse etiam pro illo signo propositiones de hujusmodi futuris contingentibus formatas, cùm pro illo rationis instanti non sint vera nec falsa sed indifferentes: sicut res ipsa quas enuntiant. Ex quibus ulterius infertur in Theologia Divi Thomæ non dari in Deo scientiam aliquam mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ quâ cognoscit res possibiles & scientiam visionis quâ videt res futuras post decretum sibique jam in æternitate præsentes: non dari inquam scientiam inter illas duas mediam quâ Deus cognoscat futura ante decretum (ut putant multi recentiores Theologi) cùm pro tunc nulla sint futura, sed solum possibilia, ut constat ex dictis.

Inferes secundò Fundamentum horum om-

nium esse, quia futurum ut sit tale debet esse determinatum ad essendum tempore subsequenti, aliàs si sit indeterminatum & indifferens, est tantum possibile: cum vero contingens non sit determinatum à se (aliàs necessario eveniret & non foret contingens) debet esse determinatum in sua causa, ut sit futurum.

Obiicies primò, Propositionem esse veram aut falsam est esse conformem, aut difformem rei enuntiatæ per illam, atqui antecedenter ad causæ determinationem propositio de futuro contingenti est determinatè conformis rei, quam enuntiat, vel determinatè difformis, ergo. *Probatur Minor*, nam tunc aliqua propositio est determinatè conformis rei, quando ita se res habet sicut per ipsam propositionem enuntiatur: atqui ante determinationem seu decretum Dei res quæ est per istam propositionem verbi gratia, Antichristus erit, enuntiatur, ita se habet: ergo. *Probatur minor*, ut res ita se habeat, sufficit quod existentia conveniat Antichristo pro tempore pro quo enuntiatur: atqui conveniet, ergo.

Confirmatur, Futurum dicitur illud, quod erit, atqui sic est ante decretum Dei, quod Antichristus erit, ergo.

1. *Ad Objectionem nego minorem primi & secundi syllogismi, ad probationem hujus distinguo Majorem*, sufficit quòd conveniat per se ex vi determinationis quā habeat pro tunc ad essendum

dum tempore designato, concedo, per accidens ex vi determinationis quæ subsequitur postea, nego: Ita autem conveniet existentia Antichristo: ex vi scilicet determinationis seu decreti subsequentis in posteriori signo rationis, non ex eo quòd in priori antecedenti pro quo efformatur propositio, sit determinata ad hoc, quod tamen necessarium esset ut pro tunc verè diceretur fore pro tempore venturo.

Ad confirmationem nego minorem, non enim illo priori sic est quod Antichristus debeat aliquando fore, cum id sit planè indifferens, & nondum tunc determinatum.

Objicies secundò & instabis: in omni signo rationis est vera aliqua propositio de futuro in quo determinatè est habitura suam de inesse seu de præsenti aliquãdo veram: sed hæc Antichristus erit: etiam in signo rationis antecedente Divinum decretum, est determinatè habitura suam de inesse veram, scilicet hanc, Antichristus est, ergo in illo signo rationis est vera. *Major est certa*, veritas enim propositionum de præterito, & de futuro regulatur per veritatem propositionum de præsenti, ita ut illa propositio de præterito sit vera quæ aliquando habuit suam de præsenti veram, illa vero falsa quæ falsam: & similiter propositio de futuro verum habeat quæ aliquando habebit suam de præsenti veram. *Minor vero probatur*: quia adveniente

tempore, pro quo prædicitur quòd Antichristus erit, verificabitur hæc propositio, Antichristus est: ergo in signo antecedente decretum Dei propositio illa (Antichristus erit) habitura erat suam de inesse veram, nempe Antichristus est.

Respondeo concessa majore negando minorem, sicut enim ante divinum decretum nihil est determinatum de futuro, vel non futuro adventu Antichristi, ita nihil certi de illo affirmari potest; num videlicet sit habiturus determinatè esse vel non habiturus, subindeque hæc propositio (Antichristus erit) pro illo priori efformata nondum concipitur habitura hanc (Antichristus est) aliquando veram potiùs quàm falsam, cùm adhuc incertum sit tunc quid postea, in sequenti videlicet signo rationis, sit à Deo decernendum de Antichristo. Ex quo patet ad probationem minoris, concedo enim antecedens, vel si malis distinguo: verificabitur, ex vi illius prioris seu determinationis quæ tunc fit in Antichristo ad essendum tempore subsequenti, nego, ex vi determinationis quæ postea subsequitur veluti per accidens comparatione illius prioris instantis, concedo: sed hoc non sufficit ut pro illo priori propositio illa dicatur determinatè habitura suam de inesse veram: *unde negatur consequentia.*

Dices, Propositio de futuro non affirmat nisi quod res illa erit, non autem quod sit determi-

terminata in se vel in sua causa ad hoc ut ponatur à parte rei, alias hujusmodi propositio antecedenter ad determinationem causæ esset falsa, siquidem esset difformis rei enunciatæ, quæ pro tunc nec est determinata in se, cùm sit merè indifferens, nec in sua causa quæ adhuc est indeterminata, atque adeo contradictoria ejus esset vera, sicque incideremus in idipsum quod cupimus vitare: ergo ut propositio de futuro contingenti sit vera non requiritur quòd res sit determinata tūc, sed sufficit quod aliquando ponatur à parte rei quomodocunque tandem. *Consequentia patet*, illud enim sufficit propositioni, quod enunciatur per illam: sed non enunciatur quòd res sit determinata ad existendum pro tempore futuro, ergo.

Respondeo propositionem illam non affirmare quidem rem illam esse determinatam in se, aut in sua causa, alias esset falsa ut probat argumentū, supponere tamen illam determinationem, ut sit vera, quia nisi res ad existendum pro tempore futuro sit determinata, non potest dici futura, sed indifferens ad futuritionem vel non futuritionem: *undè distinguo etiam consequentiam*. Ad veritatem illius propositionis non requiritur illa determinatio *tanquam res enunciata, concedo, tanquam conditio prærequisita, nego*.

Ad Probationem respondeo requiri, & id quod enunciatur, & conditionem sine qua nequit verè enuntiari.

Objicies Tertiò, Lex contradictoriarum est quòd una sit vera, altera falsa, atqui istæ, Antichristus peccabit, Antichristus non peccabit, sunt contradictoriæ etiam antecedenter ad decretum Dei de permissione peccati Antichristi: ergo in illo signo una est vera, altera falsa.

Respondeo, Legem contradictoriarum universaliter loquendo non esse illam, sed solùm quòd non possint esse simul veræ nec simul falsæ, ita ut si una sit vera, altera falsa esse debeat: & sic illa lex habet locum etiam in contradictoriis de futuro contingenti ante determinationem causæ, tunc enim non sunt simul veræ, nec simul falsæ, sed indifferentes ad veritatem & falsitatem.

Dices, Illa propositio universalis, omnis homo disputabit, est falsa ante omnem causæ determinationem: ergo ejus contradictoria, aliquis homo non disputabit, vera: atqui eadem est ratio de universalibus ac de singularibus: ergo singulares etiam, Petrus disputabit, Petrus non disputabit, erunt veræ aut falsæ.

Respondeo, Physicè loquendo eodem modo philosophandum esse de universalibus de futuro contingenti, ac de singularibus: atque ita propositio illa universalis pro tunc non est falsa physicè, cum res sit indeterminata, nec physicè repugnet quòd omnis homo disputet: moraliter tamen & secundùm communem

æstimationem hominum censetur falsa, quia incredibile videtur quòd omnes se determinent ad disputandum: & eodem sensu altera contradictoria reputatur vera, quod non habet locum in singularibus.

Objicies quartò & urgebis: Hæc disiunctiva est vera & necessaria ante omnem causæ determinationem, scilicet, Petrus peccabit vel Petrus non peccabit: ergo altera pars ejus est determinatè vera. Probatur consequentia, ad veritatem enim propositionis disiunctivæ requiritur quod altera pars sit vera, sicut ad veritatem copulativæ quòd utraque.

Respondeo, Propositionem illam posse sumi dupliciter: uno modo ut propriè disiunctivam ex duabus categoricis media disiunctionè *Vel* unitis, ita ut sensus sit, vel Petrus erit disputans vel Petrus non erit disputans, & sic ad veritatem ejus requireretur veritas alterius partis determinatè & in particulari, ut probat argumentum: alio modo ut unam propositionem simplicem, de extremo tamen disiuncto, ita ut sit sensus, Petrus erit disputans vel non disputans, & hoc modo ut sit vera non est necesse, quòd alterum determinatè sit futurum, sed confusè & indeterminatè illud vel illud, sicut alias dicebamus de ista, ille vel ille oculus est necessarius ad videndum. *Vnde in forma distinguo antecedens, illa propositio est vera & necessaria, ut est propriè disiũctiva, nego: ut simplex de extremo disiuncto,*

concedo, hoc enim ex se determinatum est independenter ab omni libera voluntate & necessarium quod alterutrum sub disiunctione confusa evenire debeat : *nego autem consequentiam, ad cujus probationem distinguendum pariter est de veritate propositionis propriè disiunctivæ & illius quæ est tantum de extremo disiuncto.*

Dices, erit saltem vera confusè & indeterminatè illa disiunctiva vel Petrus erit disputans vel Petrus non erit disputans : ergo altera categorica erit vera saltem sub disjunctione confusa, & indeterminatè, scilicet illa vel illa. Aliqui hoc concedunt, sed tamen,

Respondeo id totum negando, aliud enim est dicere quòd alterutrum indeterminatè & sub disiunctione debet evenire, nempe disputatio vel non disputatio, aliud quòd alterutra propositio indeterminatè est vera : ad primum enim sufficit quòd nõ possit fieri quin alterutrum contingat: ad secundum requireretur quòd alterutra propositio hæc vel illa indeterminatè esset conformis rei enunciatæ, & sic deberet res enunciata esse determinatè futura, ita ut tota indeterminatio se teneret ex parte propositionum, quatenùs incertum nobis esset quænam conformis esset objecto, quænam difformis.

Objicies ultimò : veritas & falsitas sunt proprietates propositionum : ergo debent semper

ſemper illis competere.

Reſpondeo eſſe proprietates, non abſolutas, ſed reſpectivas ad objectum ſeu ad rem enunciatam, ab illa dependentes, unde debent ſemper illis competere, quando res eſt determinatè talis, qualis enunciatur, non autem in illo priori in quo eſt indifferens.

Dices, veritas & falſitas opponuntur contrariè, ergo debet altera convenire propoſitioni de futuro contingenti in quocumque priori.

Reſpondeo negando conſequentiam, datur enim medium inter veritatem & falſitatem, non per participationem, ſed per negationẽ hujuſmodi extremorũ contrariorum, quod medium eſt propoſitio illa in eo priori, quæ pro tunc nec eſt vera nec falſa. Hæc de ſecunda parte Logicæ.



TERTIA



TERTIA PARS LOGICÆ.

De Ente Rationis directivo tertia operationis intellectus,

SCILICET

De Argumentatione.



Rgumentatio, qua dirigitur tertia mentis operatio seu discursus, (qui dicitur talis quia est veluti motus quo intellectus progreditur & discurrit ab uno cognito ad aliud ex alio deductum, ex antecedente ad consequens, unde necessariò importat plures actus nempe assensum ipsius antecedentis aut præmissarum, & assensum conclusionis ut ex antecedente vel præmissis deductæ :) *Argumentatio inquam qua dirigit hanc operationem, sicut definitio & divisio simplicem apprehensionē, & propositio judicium, in multas dividitur species de quibus sufficienter in parva Logica egi-*

egimus, præterquam de syllogismo qui omnes alios præcellit. Duo autem in illo sunt consideranda, nempe materiale, id est propositiones, quæ sunt materia proxima, & termini qui sunt materia remota: & formale id est dispositio hujusmodi terminorum & propositionum in forma & figura. Et quidem de syllogismo quoad formale, seu quoad figuras & modos, (de quibus Aristoteles in duobus libris Priorum Analyticorum) satis superque egimus loco citato: unde in præsentiarum superest dumtaxat agendum de illo ex parte materialis, penes quod

Dividitur primò ex parte materiæ remotæ in rectum & obliquum; Syllogismus rectus dicitur ille cujus omnes termini ponuntur in recto, obliquus in quo reperitur aliquis terminus in obliquo, qui interdum mutari debet in rectum ut bonitas aut vitium consequentiæ appareat.

Dividitur secundò ex parte ejusdem materiæ remotæ in communem & singularem seu expositorium, primus est, cujus medium est terminus communis, secundus, qui constat medio singulari, & vocatur expositorius & sensibilis, quia veluti ad sensum explicat unionem extremorum inter se per unionem quasi sensibilem ipsorum cum medio, qui syllogismus ut plurimũ formari debet in tertia figura, in qua medium bis subjicitur, quod maximè congruit medio singulari, ut Petrus est animal: Petrus est

est rationalis, ergo aliquod rationale est animal. Nihilominus tamen potest efformari in aliis etiã figuris, ut patet in hoc exemplo, Primogenitus Ludovici decimi tertius est rex Francorum, sed Ludovicus decimus quartus est ille Primogenitus, ergo Ludovicus decimus quartus est Rex Francorum.

Adverte autem quod sicut in syllogismo communi medium in altera præmissarum debet perfectè distribui, ita ex opposito in syllogismo singulari seu expositorio medium debet esse ita singulare ut sit omnino incommunicabile, si enim communicabile sit, syllogismus singularis æquivalebit syllogismo communi ex puris particularibus, atque adeò nihil concludet, ut in hoc exemplo, Hæc essentia Divina est pater, Hæc essentia divina est Filius, ergò Pater est Filius, quæ consequentia est nulla quia essentia Divina, quæ est medium, etsi singularis sit, est tamen communicabilis, sicut è converso non valet consequentia in hoc syllogismo communi: Aliquis homo est albus, Aliquis homo est Æthiops, ergò aliquis Æthiops est albus: quia licet homo qui est medium sit terminus communis, ibi tamen non se habet ut communis cùm maneat indistributus.

Dividitur tertiò ratione materiæ proximæ in categoricum & hypotheticum. Primus est qui constat propositionibus categoricis, secundus verò qui constat altera saltem hypothetica seu

seu conjuncta, ut si Sol lucet, dies est, atqui Sol lucet: ergò.

Dividitur quartò ratione ejusdem materiæ proximæ in demonstrativum, probabilem & sophisticum. Syllogismus demonstrativus est ille qui constat propositionibus necessariis, certis & evidentibus, probabilis verò qui nō certis sed probabilibus: sophisticus denique, qui falsis reipsa sed apparenter veris. De his tribus (de quibus Aristoteles in duobus libris *Posteriorum* analyticorum, octo Topicorum, & duobus Elenchorum) agemus in sequentibus, omissis aliis de quibus nihil superest dicendum.



IN



IN DUOS LIbros Posteriorum Aristotelis.

DISPUTATIO I.

De Demonstratione.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Demonstratio.

D*Ico* 1. *demonstrationem in communi rectè definiri syllogismum constantem ex propositionibus necessariis, certis & evidentibus.*

Probatur, quia illa est propria & essentialis ratio demonstrationis in communi, in qua omnes demonstrationes conveniunt, & per quam differunt à syllogismo probabili & sophistico: atqui omnes demonstra-

strationes, sive sint *Propter quid*, sive *Quia*, sive a priori, sive à posteriori, de quibus infrà, conveniunt in hoc, quod constent propositionibus *necessariis, certis, & evidentibus*, & per hoc differunt à syllogismo probabili, qui constat propositionibus duntaxat probabilibus, & à sophistico qui constat falsis apparenter solùm veris. Ergo est illa propria ratio & legitima definitio demonstrationis ut sic.

Dico 2. *Demonstratio in communi legitimè etiam definitur syllogismus faciens scire*: quæ definitio est tantùm descriptiva.

Probatur eadem ratione, qua praecedens conclusio. Quia in hoc conveniunt omnes demonstrationes, quod faciant scire, id est *conclusionem certò & evidenter cognoscere*, & per hoc idem differunt tum a syllogismo probabili qui non causat assensum scientificum conclusionis, sed opinativum & incertum; tum à sophistico qui causat assensum erroneũ & falsum. Quod autem illa definitio sit tantũ descriptiva, patet, quia datur per causam dumtaxat extrinsecam definiti, nempe finálem, scientia enim est finis & effectus ad quem demonstratio per se primò ordinatur.

Dico 3. Demonstrationem in communi rectè dividi in demonstrationem Propter quid, & demonstrationem Quia.

Demonstratio Propter quid est syllogismus constans præmissis necessariis, certis, & evidenti-

dentibus, assumentibus pro medio causam adæquatam conclusionis, vel, quod in idem redit: est syllogismus faciens scire, id est, rem certò & evidenter cognoscere per causam propriam & adæquatam ipsius; sive sit vera & realis causa, id est, verè & realiter influens (saltem per resultantiam) in proprietatem quæ demonstratur; qualis est rationalitas respectu risibilitatis, sive sit tantum causa virtualis ejus, id est, non realiter influens in illam, sed veluti æquivalenter; quia scilicet est talis naturæ quod si id cujus dicitur causa virtualis haberet veram & realem causam à qua per realem influxum procederet, non aliam haberet quàm illam, hoc modo universalitas dicitur causa virtualis, seu, quod idem est, ratio à priori respectu prædicabilitatis, ens respectu unitatis, veritatis, bonitatis; immutabilitas in Deo, respectu æternitatis quæ per illam demonstratur, hoc modo, omne immutabile est æternum, Deus est immutabilis, ergo Deus est æternus. *Demonstratio ergo, Propter quid est illa quæ procedit per causam vel realem vel virtualem, non qualemcunque, sed propriam & adæquatam*, quæ dicitur illa quæ convertitur cum effectu, ita ut illa posita ponatur effectus, & illa sublata auferatur effectus, & vice versa, qualis est rationalitas respectu risibilitatis.

Ex quibus intelliges definitionem demon-

monstrationis *Propter quid* adductam à Philosopho in Scholis tritam, *qua dicitur syllogismus procedens ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.*

Dicitur procedere ex veris, quod est commune demonstrationi *Propter quid*, & *Quia*, utraque enim constare debet principiis seu præmissis veris & necessariis.

Dicitur procedere ex primis principiis & immediatis, id est, quæ non habeant alia priora per quæ ipsa demonstrentur, nec medium per quod à priori probentur (qua de causa dicuntur per se nota) Hoc autem non est ita intelligendum quasi præmissæ cujuslibet demonstrationis *propter quid* debeant esse actu prima principia immediata & indemonstrabilia, sed saltem virtualiter, ita quòd possint ab eo qui demonstrationẽ efformat statim reduci illæ præmissæ ad principia illa indemonstrabilia, aliàs syllogismus ille non erit demonstrativus respectu eius, nec producet scientiam in illo, sed duntaxat opinionem; Unde habes hujusmodi præmissas debere esse propositiones per se in primo aut secundo modo perseitatis. *Pro quo nota propositionem per se dici eam, in qua prædicatum convenit subjecto per se & ratione sui, quod potest esse quatuor modis. Prædicatum per se primo modo dicitur id, quod est de essentia subjecti: secundo modo, quod est propria passio: tertio modo*

modo, est ipse modus essendi per se & non in alio cum attribuitur substantiæ, quarto modo est effectus aut operatio aliqua cum attribuitur causæ per se ipsius: ut cum dicimus, Medicus sanat, Ædificator construit aut ædificat, si autem dicas, Accidens existit per se, (ut in Eucharistia) vel, Medicus ædificat, non erũt propositiones de prædicato per se in tertio & quarto modo, sed per accidens.

Dicitur denique demonstratio *Propter quid procedere ex notioribus, prioribus, causisq; conclusionis:* procedit enim per causam adæquatam prædicati, quod demonstratur, ut diximus, causa verò est prior effectu, subindeque notior quoad se, licet effectus possit esse notior quoad nos.

Probat insuper Philosophus præmissas demonstrationes *propter quid esse notiores & certiores*, ex illo axiomate: *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale*, quod verum est, quando adsunt hæ duæ conditiones, *Prima*, quod prædicatum de quo agitur, conveniat formaliter duobus inter quæ fit comparatio: *Secunda*, quod uni eorum conveniat per se, & ratione sui, alteri verò dependenter ab illo. *Est autem falsum quoties desunt illæ duæ conditiones, vel altera earum*, ut in his exemplis, Terra est calida propter solem, ergo Sol est magis calidus, homo est corruptibilis propter materiam, ergo materia est magis corruptibilis: non enim

enim calor convenit formaliter soli, sed tantum virtualiter; nec similiter corruptibilitas competit materiæ, cùm potiùs una ex proprietatibus ejus sit esse ingenerabilem & incorruptibilem, valet autem, medicina est bona & desiderabilis propter sanitatem, ergo sanitas est magis desiderabilis & bona: quia reperiuntur duæ præfatæ conditiones. *Quæ etiam in proposito adsunt, evidentia enim & certitudo, de quibus agitur formaliter conveniunt & præmissis, & conclusioni, illis quidem per se & ratione sui, huic verò dependenter ab illis, ideò enim certò & evidenter uniuntur extrema conclusionis inter se, quia certò & evidenter uniuntur cum medio in præmissis.*

Demonstratio autem *quia* (sumpta hac particula non ut causali sed ut significante quod res est;) dicitur illa quæ probat quidem prædicatum inesse subjecto, non tamen ostendit propter quid illi conveniat: id est, non assumit pro medio causam propriam & adæquatam illius, sed vel causam inadæquatam & non convertibilem, ut in hoc exemplo: omne respirans est animal, nullum lignum est animal, ergò nullum lignum respirat, animal enim non est causa propria & adæquata respirationis, siquidē licet omne respirans sit animal non tamen omne animal est respirans, sed illud tantùm quod habet pulmones, defectu quorum pisces non respirant;

rant: vel assumit effectum aut signum, ut in hoc exemplo, Omnis perfectio quæ est in creatura debet eminentiori modo reperiri in Deo: atqui intellectus, sapientia & aliæ hujusmodi perfectiones reperiuntur in creaturis: ergò &c. Demonstratio ergo *quia* est illa quæ constat propositionibus necessariis, certis, & evidentibus, in quibus assumitur pro medio, non causa adæquata & convertibilis, sed aliquid aliud necessariam habens connexionem cum conclusione, scilicet vel causa inadæquata & non convertibilis, vel effectus aut quid simile.

Dico 4. *præfatam divisionem esse adæquatam & univocam.*

Prima pars probatur: etenim demonstratio *propter quid* est illa quæ procedit per causam adæquatã, seu convertibilem cum prædicato vel proprietate quæ de subjecto demonstratur; demonstratio verò *quia* est illa quæ non procedit per causam adæquatam, sed assumit aliquod aliud medium necessariò inferens conclusionem. atqui nulla potest assignari demonstratio quæ non contineatur sub altero membro, cùm unum contradictoriè opponatur alteri: ergo omnis demonstratio erit vel *Propter quid*, vel *Quia*, subindeque divisio illa adæquata.

Secunda etiã pars sic suadetur: Ratio demõstrationis ut sic æqualiter ex parte sui convenit demõstrationi *propter quid* & demonstrationi

tiohi *Quia*, ergò univocè, subindeq; univoca erit hujusmodi divisio. *Probatur antecedēs:* demonstratio ut sic importat solùm quod sit syllogismus procedens ex præmissis necessariis, certis & evidētibus, seu syllogismus causans scientiam, atqui hoc totum participatur tam à demonstratione *Quia*, quàm à demonstratione *Propter quid*, ut constat ex dictis: ergo. Verum quidem est demonstrationē *propter quid* esse perfectiorem altera, cum enim pro medio assumat causam propriam & adæquatam conclusionis, facit omninò perfectè scire, siquidem perfectè scire dicimur, cū rem per causam propriam & adæquatam cognoscimus. At verò demonstratio *Quia* cum non assumat nisi effectum, signum, aut causā inadæquatam, facit imperfectiùs scire, sed hæc major vel minor perfectio, se tenet ex parte differentiarum, subindeque non impedit univocationem rationis communis demonstrationis, quæ verè & essentialiter convenit tam demonstrationi *quia*, quàm demōstrationi *Propter quid*, eandemque in utraq; habet definitionem.

Dico ultimò demonstrationem propter quid non omninò coincidere cum demonstratione à priori, ita ut inter se convertantur, nec similiter demonstrationem Quia cum demonstratione à posteriori.

Prima pars probatur, Quia demonstratio à priori dicitur omnis illa quæ procedit per

causam seu rationem à priori, sive sit adæquata sive inadæquata, demonstratio verò *Propter quid* dicitur illa dumtaxat, quæ procedit per causam adæquatam conclusionis, ergo illa latius patet quàm ista, subindeque non convertuntur, quamvis enim omnis demonstratio Propter quid sit a priori, non tamen è converso.

Secunda etiam pars simili argumento suadetur demonstratio enim *Quia* dicitur omnis illa quæ non procedit per causam adęquatã, sed vel per inadæquatã, vel per effectum, aut aliquid aliud posterius, demonstratio verò à posteriori est illa duntaxat quæ procedit per effectum, vel signũ, vel aliquid aliud posterius: ergò latius patet demonstratio *Quia*, quàm demonstratio à posteriori, omnis enim demõstratio à posteriori est quidẽ demõstratio *quia*, non autem omnis demõstratio *quia* est à posteriori, sed aliqua est à priori, nempe illa quæ procedit per causam inadæquatam.

Quæres utrum liceat uti demonstratione circulari.

Respondeo circulum in demonstratione qui est progressus à principiis ad conclusionem, & ingressus à conclusione ad principia seu præmissas, alterum esse formalem seu uniformem, alterum materialem seu difformẽ *Circulus formalis est quando assumitur conclusio illata ex antecedente, & ex illo solo nota ad probandum idem antecedens, & hoc nõ licet uti,*

cum

cum enim antecedens sit notius conclusione spectata prout ex illo solo deducitur id quod est minus notum, assumeretur ad probandū illud quod est notius. *Circulus verò materialis est quando assumitur conclusio jam aliunde & ex aliis principiis, quam ex antecedente nota ad probandum illud antecedens aut aliquã præmissarum, unde prius fuerat deducta,* & hoc circulo difformi uti licet, quia non sequitur inconveniens sicut ex circulo formali, siquidē fieri potest ut conclusio fiat aliunde notior quàm sit ipsum antecedens.

SECTIO II.

Vtrum demonstratio causet effectivè scientiam.

VIDIMUS demonstrationem propter quid & a priori esse causam in essendo ipsius conclusionis, quatenus scilicet assumit medium, quod est causa adæquata vel inadæquata (sive materialis, sive formalis, sive efficiens, sive finalis) proprietatis quæ de subjecto demonstratur. *Difficultas modò est, utrum omnis demonstratio sive propter quid, sive quia, sive à priori sive à posteriori, sit causa conclusio-*

clusionis in cognoscendo, id est utrum assensus præmissarum causent effectivè assensum scientificum conclusionis, hic enim est sensus tituli, pro cujus resolutione

Dico primò assensum præmissarum concurrere in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis.

Probatur: Illud quod constituit potentiam in actu primo ad assentiendum, concurrit cum ea in genere causæ efficientis ad illũ assensum: sed assensus præmissarum constituunt saltem in actu primo intellectũ ad assentiendum conclusioni: ergò concurrunt, &c. *Major est evidens*, ideò namq; species impressæ concurrunt in genere causæ efficientis unà cum potentiis cognoscitivis ad actus ipsarum, quia illas complent & constituunt in actu primo, seu reddunt proximè potentes ad cognoscendum. *Minor verò probatur* quia intellectus antecedenter ad assensus præmissarum non est sufficiens principium assensus conclusionis, aliàs posset absq; prævio assensu illarum elicere actum discursus, quod implicat cõtradictionem, cùm discursus essentialiter sit assensus conclusionis ex vi assensus antecedentis vel præmissarum: posito autem hujusmodi assensu est sufficienter potẽs imò ut dicemus non potest non elicere assensum conclusionis: ergò constituitur in actu primo per illum.

Objicies: in illo instanti quo intellectus elicit

cit assensum conclusionis,non adest sed jam transiit assensus præmissaru͂,ergò nequit cõcurrere efficienter ad illum. *Antecedens probatur,* quia intellectus non potest simul habere plures actus,aut simul intelligere plura: ergò nequit simul,& semel assentiri præmissis & conclusioni, *Consequentia etiã suadetur* quia nulla causa agit quando non est.

Respondeo primò negando antecedens, Ad probationem respondeo intellectum non posse quidem simul, & in eodem instanti temporis habere plures actus disparatos, & intelligere plura ut plura sunt : posse tamen habere plures actus inter se subordinatos per modum unius integri discursus, ut in proposito , subindeque intelligere plura non ut plura sunt ; sed per modum unius. *Instabis :* Assensus majoris potest præcedere tempore assensum conclusionis: ergo quando assentimur conclusioni, non adest necessariò assensus majoris,atq; adeò non erit causa illius. *Sed ad hoc respondeo concesso antecedente, negando consequentiam,* quia assensus minoris , quæ simul tempore cognoscitur cum conclusione, includit virtualiter assensum ipsius majoris.

Respondeo secundò ad principale argumentum , distinguendo illius antecedens : non adest tunc assensus præmissarum , *formaliter & in seipso* , esto *virtualiter, & in suo effectu*, nego : manet enim in ipsa intellectus determinatione quam habet ad assentiendum

dum conclusioni, posito præmissarum assensu, a quo assensu determinatio illa causatur, *unde negatur consequentia : ad cujus probationem dicendum* illud quod non adest nec formaliter, nec in sua virtute non posse agere, bene autem si maneat in sua virtute ut in proposito.

Dico 2. Assensus præmissarum ita concurrunt ad assensum conclusionis, ut ad eum eliciendum (cognita bonitate consequentiæ) intellectum necessitent nedum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium.

Pro intelligentia adverte quòd sicut est duplex libertas, altera contrarietatis seu quoad specificationem quæ est indifferentia ad eliciendum unum specie actum vel ejus suppositum, putà amorem vel odium, assensum vel dissensum, *altera contradictionis seu quoad exercitium quæ est indifferentia ad eliciendum unum actum vel suspendendum ipsum;* putà ad assentiendum, vel ad suspendendum assensum ita est duplex necessitas *illi duplici libertati opposita, altera est necessitas quoad specificationem,* quæ est determinatio ad unum specie actum, ita ut potentia nequeat elicere oppositum, qualis necessitas est in voluntate nostra respectu beatitudinis in communi seu boni ut sic quod ita amamus, ut non possimus odio ipsum habere. *altera quoad exercitium, quæ est determinatio potentiæ ad aliquem actum quem non potest suspendere,* qualis

lis necessitas est in voluntate beatorum respectu Dei clarè visi, quem ita continuò diligunt ut ab ejus amore nunquam cessare possint. Hoc posito

Probatur prima pars conclusionis: necessitas quoad specificationem est determinatio potentiæ ad aliquem actum, ita ut quamvis ipsum possit suspendere, nequeat tamen elicere actum oppositum: atqui posito assensu præmissarum ita determinatur intellectus ad assentiendum conclusioni, ut nequeat illi dissentire, ergò necessitatur ad illum saltem quoad specificationem. *Probatur minor*, quia intellectus nequit dissentire vero clarè cognito, sicut nec voluntas abhorrere à bono: atqui cognitis præmissis ut veris, & visa bonitate consequentię, clarè cognoscit conclusionem esse veram, cum ex antecedente vero sequi nequeat falsum consequens: ergò non poterit dissentire conclusioni. Quod evidentius constabit ex probatione secundæ partis, si enim non potest suspendere assensum, multò minus poterit elicere dissensum, Unde

Probatur secunda pars, Necessitari quoad exercitium alicujus actus, est ita determinari ad illum eliciendum, ut non possimus illum suspendere, atqui per assensum præmissarum ita determinatur intellectus ad assensum conclusionis, ut non possit ipsum suspendere: ergò, *Probatur minor.* Potentia na-

turalis positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, seu actionem suspendere (hæc enim est differentia causæ naturalis, seu necessariæ à libera) atqui intellectus est causa naturalis. & non libera formaliter, ergò positis omnibus ad assentiendum conclusioni requisitis, qui sunt assensus præmissarum, non potest &c.

Dices, Quamvis intellectus sit potentia naturalis, tamen liberè applicatur à voluntate, (eo modo quo potentia visiva ex. gra.) ad suum objectum aut actum, & ab eo retrahitur: ergò positis assensibus præmissarũ poterit non applicari ad assensum conclusionis sed retrahi ab illo. Probatur cõsequentia sic: Quod fit liberè, potest non fieri, voluntas applicat liberè intellectum ad assentiendum conclusioni: ergò potest non applicare.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam. Ad probationem potest non fieri, absolutè, concedo: *ex suppositionẽ* nego: *& similiter ad consequentiam dicendum,* potest enim absolutè voluntas non applicare intellectum ad assentiendum cõclusioni non applicando ipsum ad præmissas, non tamen ex suppositione quod permiserit ipsum præmissis assentiri, & cogitare de bonitate illationis, sicut potest absolutè impedire visionem objecti, putà claudendo oculos, aut ab objecto avertendo illos, tamen ex hypothesi quòd velit oculos esse apertos & ad objectũ
præ-

præsens & illuminatum conversos, non potest: quæ necessitas hypothetica seu ex suppositione nihil obest libertati voluntatis, cùm ab ipsa liberè volenti oriatur.

Ex dictis colliges rectè à Philosophis assignari tria præcognita, & duas de ipsis præcognitiones ante demonstrationem. Probatur, debet enim de subjecto, de quo volumus passionem demonstrare, præcognosci quid sit, cùm in demonstratione *Propter quid*, (de qua potissimũ est sermo cùm de præcognoscendis ante demonstrationem agitur) assumi debeat ejus essentia aut definitio pro medio. De ipsa verò passione demonstranda prænoscendum est quid nomine ejus intelligatur. *Et tandem de principio, seu de præmissis assumendis præcognosci debet an sint vera.* Ergo tria illa ante demonstrationem sunt præcognoscenda, *id est, subjectum, passio ejus aut proprietas seu prædicatum quod de illo demonstrari debet, & principiũ per quod est demonstrandum*: & duæ sunt de illis præcognitiones seu anticipatæ cognitiones habendæ; de subjecto videlicet aut de passione, *quid rei vel quid nominis, de principio autem, an sit veritatis.*



IN OCTO LIbros Topicorum Aristotelis.

DISPUTATIO UNICA Ordine II.

De Syllogismo topico seu probabili.



YLLOGISMUS probabilis, ut ex ipso nomine datur intelligi, dicitur ille *qui constat propositionibus probabilibus, & opinionem generat in intellectu*. Appellatur autem topicus, id est localis à nomine græco τόπος, id est locus, eo quod è quibusdam veluti argumentorum promptuariis, qui dicuntur loci dialectici, eruitur: propter quod etiam appellatur speciali ratione *dialecticus*, hoc est *disputatorius* ut ita dicam, quia ex illis locis desumuntur argumenta ad quamlibet rem in utramque partem disputandam, qua etiam de causa hæc

hæc logicæ pars, in qua de hujusmodi locis & syllogismis agitur, sæpius nomine dialecticæ simpliciter venit intelligenda.

SECTIO UNICA.

De locis è quibus syllogismi probabiles desumuntur.

LOcus *in proposito definitur sedes argumenti, quia est id unde quivis in qualibet re proposita facile eruere potest argumenta probabilia, sunt autem decem pracipue loci hujusmodi,* nempe *à causis, ab effectibus, à subjectis, ab adjunctis, à dissentaneis, à comparatis, à nomine, à definitione, à divisione, & à testimonio.* Sumuntur ergò probabilia argumenta

Primò à causis, materiali, formali, efficienti, & finali. A materiali, si ostendatur excellentia hominis v.g. à corporis præstantia, si laudetur ædificium eò quod ex pretiosis materialibus sit constructum. *A formali,* si laudetur homo ab excellentia animæ rationalis, & ædificium à forma seu recta ipsius dispositione. *Ab efficienti,* si commendetur homo à parentibus, à proavis nobilibus, aut domus ab excellentia Architecti.

A finali denique, si extollatur natura humana eó quòd propter æternam beatitudinem sit creata, aut actio aliqua eò quod in finem honestum dirigatur, vel si laudetur domus à commoda habitatione ad quam ut ad finem ordinatur.

Secundò ab effectibus, ut si prædictæ causæ laudentur à præstantia aut nobilitate effectuum ad quos concurrunt: quo etiã modo laudantur Sancti propter opera bona: vituperantur peccatores propter scelera.

Tertiò à subjectis, ut si probes virtutes & scientias præstare omnibus aliis accidentibus eò quòd in perfectiori & nobiliori sint subjecto.

Quartò ab adjunctis, sive illa sint accidentia intrinsecè inhærentia, ut si laudetur homo ab ingenio & scientia, à virtute, & aliis hujusmodi, sive sint externa, & solum circumstantia subjectum, ut si quis laudetur à divitiis, à dignitatibus, &c. Quod dico de laude, intellige etiam de vituperatione quæ sumi potest à defectu ingenii, scientiæ, virtutis, aut à vitio.

Quintò à dissentaneis, id est oppositis, ut si ostendatur virtutis honestas, à turpitudine vitii, aut è converso.

Sextò à comparatis vel similibus, seu quod idem est ab exemplis, ut si dicas, Deus pepercit Magdalenæ pœnitenti, ergò parcet & tibi, si pœnitentiam egeris.

Septimò

Septimò à nomine, seu etymologia nominis, ut si arguas hoc modo: Creatura de humo sumpta debet esse humilis. sed homo est de humo sumptus. ergo. A quo loco non differt *locus à conjugatis, id est, à nominibus affinibus*, quorum scilicet unum derivatur ab alio, sicut concretum ab abstracto: ut si dicas, non est appellandus vir qui nihil habet virtutis, neque homo qui nihil habet humanitatis, sed &c. ergo. &c.

Octavò à definitione, à qua ad definitum, & vicissim, valet consequentia tam affirmativè quam negativè, affirmativè quidem, ut, Est animal rationale ergo est homo, Est homo: ergo est animal rationale: negativè verò, ut, Non est animal rationale, ergo non est homo, Non est homo, ergo non est animal rationale. Item ex eo quod aliquid conveniat definitioni, rectè arguitur convenire & definito, & è contra, loquendo de prædicatis realibus, non rationis, unde non valet dicere, Definitio est oratio, ergo & definitum. Definitum est species, ergo & definitio.

Nono à divisione, à qua ad divisum valet consequentia, & è converso, cum hoc discrimine, quod ab uno membro dividenti rectè argui potest ad divisum, ut si dicas, est rationale, ergo est animal. At verò à diviso non valet ad alterum membrum dividens, sed solum ad omnia sub disiunctione: non enim sequitur sic: est animal: ergo est rationale, sed sic, ergo est rationale vel irrationale.

Decimò à testimonio, seu ut alii dicunt à pronunciatis, vel ut alii, ab assumptis, quæ in idem redeunt. Testimonium enim sumitur ex iis quæ ab aliquo pronuntiata sunt, & ob candẽ rationem vocatur assumptum. Arguitur autem à testimonio, vel humano, ut si dicas, Aristoteles docet materiam primam esse puram potentiam, ergo ita est, vel divino, sive per scripturam, sive per traditionem, sive Ecclesiam aut Concilia nobis denuntiato: à quo loco sumuntur argumenta Theologica ut si dicas, Christus est homo, juxta fidem & scripturæ testimonia, ergo est risibilis.





IN DVOS LIBROS
Elench. Aristotelis

DISPUTATIO UNICA, Ordine III.

De Syllogismo Sophistico.

SYLLOGISMVS Sophisticus seu fallax est ille qui procedit ex apparentibus, quæ scilicet videntur esse, sed non sunt; unde & qui his student, appellantur Sophistæ, non quasi sint veri sapientes, sed apparentes seu fucati. *Triplex autem est hujusmodi Syllogismus. Primus, qui est fallax ratione formæ tantùm*, quando scilicet forma Syllogismi est vitiosa licet propositiones sint veræ. *Secundus qui est fallax ratione materiæ tantùm* quando nimirum, licet sit in modo & figura, tamen ratione alicujus æquivocationis aut alterius similis causæ fallit. *Tertius tandem ratione utriusque.*

Si sit fallax ratione formæ solum, debet concessia

cessis præmissis negari consequentia, quia tunc revera non est syllogismus, cum desit illi forma constitutiva syllogismi.

Si sit fallax ratione materiæ tantùm, non debet negari consequentia, cum syllogismus ut suppono sit in forma; sed debent distingui illæ propositiones, in quibus æquivocatio aut aliud quodvis vitium seu fallacia latet.

Si autem sit fallax ratione utriusq;, tunc quo malueris modo poteris respondere.

Defectus autem fallaciæ, quæ ex parte formæ contingere possunt in syllogismo, sufficienter constant ex regulis in parva logica adductis: unde inpræsentiarum de solo syllogismo ex parte materiæ fallaci agemus. Sicut autem quidam assignantur loci topici, è quibus syllogismi probabiles deducuntur, ita aliqui sunt sophistici ex quibus argumentationes captiosæ, apparentes, & fallaces depromuntur. *Ex illis autem locis sophisticis, quæ fallaciæ appellantur, sex sunt in dictione aut vocibus positi, nempe æquivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus, & figura dictionis: septem in rebus seu extra dictionem, scilicet fallacia accidentis; eius quod simpliciter dicitur & secundum quid ignorationis elenchi, consequentis, petitionis principii, non causa, ut causa, plurium interrogationum ut unius, & ita omnes sunt numero tredecim.*

SEC-

SECTIO I.

De sex fallaciis quæ in dictione contingunt.

PRima omnium est *fallacia æquivocationis, quæ est locus aptus ad decipiendum æquivocatione vocabuli*: ut si dicas canis est latrabilis, sidus est canis, ergo sidus est latrabile, Item qui sanabatur sanus est, ægrotus sanatur: ergo ægrotus sanus est: Ubi distinguendus est ille terminus *Canis* de cane terrestri & cœlesti, item ly ægrotus de eo qui erat aut qui modo est.

Secunda est fallacia Amphibologiæ, quæ est locus aptus ad fallendum ambiguitate seu æquivocatione orationis, ut Quoscumque vellem me capere, vellem ut me caperent, vellem me capere hostes, ergo vellem ut me hostes caperent. Ubi distinguenda est oratio illa infinitivi modi, quæ est ambigua.

Tertia est fallacia compositionis, & quarta divisionis, qui sunt loci apti ad decipiendum variatione sensus compositi & divisi: & contingũt quando à sensu composito vero arguitũr ad sensum divisum falsum, vel è contra, ut si dicas, Qui non potest ambulare non habet potentiam ad ambulandum, sed sedens sedendo

non

non potest ambulare, ergo sedens sedendo non habet potentiam ab ambulandum, vel è contra; Quicunque habet potentiam ad ambulandũ potest ambulare, sed sedens sedendo habet potentiam ad ambulandũ, ergo sedens sedendo potest ambulare. Prior syllogismus ex eo quod sedens non possit ambulare in sensu composito, id est, ambulationem cum sessione componere, infert ipsum non retinere potentiam ad ambulandum absolutè, qui est sensus divisus: secundus verò è contra ex eo quòd retinet potentiam ad ambulandum absolute, & in sensu diviso, concludit ipsum posse ambulare etiam in sensu composito, conjungendoque ambulationem cum sessione. Unde distinguendæ sunt propositiones utriusque syllogismi in sensu composito, & diviso, juxta dicta in parva logica dum de modalibus, quamvis enim videantur reddere determinatè aliæ sensum compositum aliæ divisum, tamen utrumque pati possunt (in quo consistit deceptio.) Contingit verò hæc fallacia non solùm in modalibus, sed etiam in aliis; ut in hoc sophismate: Quicunque numerus componitur ex duobus & tribus, est duo & tria, sed quinarius non est duo & tria: ergo quinarius non componitur ex duobus & tribus, Ubi major est vera conjunctim, falsa divisim.

Quinta est fallacia accentus, quæ est deceptio proveniens ex varietate accentuum aut prolationum

tionum ejusdem vocabuli: ut si dicas, omnis populus est multitudo civium, sed aliqua arbor est populus, ergo aliqua arbor est civium multitudo. Item: Quicumque occidit moritur, sicarius occidit, ergo sicarius moritur. Itē, Qui dicit te egregiè respondisse, laudat te, sed præceptor cùm te reprehendit ait te egregiè respondisse, ergo cùm te reprehendit laudat te. Deceptio primi & secundi sophismatis oritur ex diversitate quantitatis aut accentus in illis vocabulis *populus* & *occidit* quæ primo loco contrahuntur, posteriori producuntur: tertii verò, ex diversitate prolationum, ironicæ aut seriæ Ex quibus facilè erit distinguere in forma.

Sexta est fallacia figuræ dictionis, quæ est *locus ad decipiendum aptus ob similitudinem dictionum*. Quæ similitudo potest esse vel materialis in structura & terminatione vocis, vel formalis in re significata. Ex prima oritur deceptio qua transitur de uno genere grammaticali in aliud & committitur solœcismus: ut in hoc sophismate. Omnis substantia affecta albedine est alba, paries est substantia affecta albedine, ergo paries est alba. Ubi contingit deceptio ob similitudinem materialem majoris extremi in prima propositione, & in cōclusione, in qua cùm deberet hujusmodi extremum majus inferri juxta genus & terminationē congruentē minori extremo, scilicet parieti, cum quo deberet concordare, infertur

secundum

secundum genus & terminationem quâ positum fuit in majori: potest autem sic distingui, est alba, quoad rē significatam, concedo: quoad genus vocis, nego. Ex secunda oritur tū deceptio, qua transitur de genere in genus philosophicum, id est de uno prædicamento in aliud: ut cum dico. Hominem quem vidisti heri vides hodie, heri vidisti sanum, ergo sanum vides hodie, Ubi contingit error ob similitudinem formalē medii & majoris extremi, scilicet hominis & sani, quæ cum significent res diversorū prædicamentorum, nempe substantiæ & qualitatis, accipiuntur ut pertinentia ad idem, scilicet ad substantiam, & debet sic distingui sophisma illud. Quē hominē vidisti heri vides hodie quoad substantiam, concedo: quoad accidens aut qualitatē nego. Heri vidisti sanum, distinguo intelligendo per sanū substantiam ipsius, nego, accidens aut qualitatem, concedo: & nego cōsequentiam. Tum à qua trahitur dictio de significato particulari ad universale aut è cōtra: ut in hoc sophismate: Quod ego sum tu non es, ego sum homo, ergo tu non es homo, & in isto, Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus, in quibus accidit deceptio ob similitudinē medii, nempe illarum dictionum, *Ego & animal*, quarum illa à significato particulari quod habet in majori transfertur ad universale in minori, ex eo quod ibi jungitur termino communi, scilicet

hominí,

homini, Animal verò è contra è significato universali in majori, transfertur in particulare in minori. Primum horum sophismatum debet sic distingui: Quod ego sum, secũdum rationem individualem qua differo ab aliis, concedo: secundum rationem communem aliis, nego: Ego sum homo secundum rationem individualem, nego, sic enim sum talis homo, secundùm rationem communem cõcedo. Secundum verò sic: Animal est genus, secundùm significatum commune, concedo, particulare, nego, Homo est animal, commune, nego: particulare, concedo.

SECTIO II.

De septem fallaciis quæ contingunt in rebus significatis, seu extra dictionem,

Prima illarum est fallacia accidentis, quæ est locus aptus ad decipiendum ob inconsiderationem diversitatis inter subjectum, & accidens ratione cuius id quod convenit aut non convenit accidenti, existimatur convenire aut non convenire subjecto, vel vice versa. Nomen autem accidentis hoc loco sumitur late pro prædicato quod aliqua ratione diversum est à subjecto sive per intellectum, ut animal ab homi-

homine sive realiter ut accidens propriũ aut cõmune. *Unde tria oriuntur ex hoc loco sophismata.* Unum cum creditur, quicquid convenit prædicato essentiali ut aliquo modo diverso à subjecto, convenire etiam ipsi subjecto, & vice versa, ut si dicas animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus, vel animal rationale est definitio, homo est animal rationale, ergo homo est definitio. Alia duo sunt quando quis existimat, quicquid convenit prædicato accidentario proprio aut communi, convenire etiam subjecto, vel è converso ut si dicas, Risibile est proprietas, homo est risibilis, ergo homo est proprietas, Et, album est concretum accidentale, homo est albus, ergo homo est concretum accidentale. Ad hoc reducitur illud sophisma ridiculũ: iste canis est pater, iste canis est tuus, ergò iste canis est pater tuus. *Ratio ergo deceptionis quæ contingit in huiusmodi sophismatis est, quia in eis accidens & subjectum nõ sumuntur prout sunt idem, sed prout sunt diversa, seu quod in idẽ redit, sumuntur secundum diversa significata, scilicet mediatum & immediatum, & variatur suppositio de simplici in realem, aut è contra, & hæc est radix deceptionis,* unde sic est distinguendum animal est genus, in quantum distinctum aut præcisum à suis inferioribus, sive secundùm suum significatum immediatũ præcisè, concedo, in quantùm idem, seu secundùm significatum & immediatũ & mediatum,

diatum,

diatum, nego, Homo est animal, spectatum secundum suum significatum immediatum præcisè, nego, mediatum, concedo. Eodem proportionaliter modo distingue in aliis syllogismis ly animal rationale, ly risibile, ly album, ly canis cui convenit esse patrẽ secundum accidens & non secundum substantiam.

Secunda appellatur fallacia à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid, vel è converso, & est locus ad decipiendum idoneus, quatenus ex eo, quòd aliquid simpliciter & sine addito alicui attribuitur aut denegatur, infert sophista attribuendum esse aut negandum secundum quid & cum addito, aut vice versa, ut si dicam, Arma sunt restituenda domino, ergo sunt restituenda domino furioso. Merces non sunt proiiciendæ in mare, ergo non sunt proiiciendæ quando naufragium timetur, vel è converso. Arma non sunt restituenda domino furioso, ergo nõ sunt restituenda domino. Merces sunt proiiciendæ in mare quando naufragiũ timetur, ergo merces projiciendæ sunt. Debent autem hæc sophismata sic distingui, Arma restituenda sunt domino, merces non sunt projiciendæ, simpliciter & absolutè; concedo, cum addito, nempe domino furioso, aut tempore naufragii, nego & sic proportionaliter de aliis. Ad hanc verò fallaciam reduci potest ea quæ committitur (præsertim in analogis proportionalitatis, de quibus in Anteprædicamentis) cùm arguitur sic,

ſic, Sicut ſe habet &c. ita &c. Quæ argumenta dicuntur incedere uno pede & claudicare nonaginta novem, quia à convenientia aliquali, vel in aliqua ratione infertur convenientia ſimpliciter, aut in aliis rationibus in quibus differunt. Unde diſtingui poſſunt. Sic: Sicut ſe habet, &c. Quantùm ad aliquid, ſeu quantùm ad talem vel talem rationem, concedo; ſimpliciter, & quantum ad omnia, nego. Quamvis cùm in forma non ſint hujuſmodi argumenta, nulla prorſus ſit eorum conſecutio, nec ſubinde ad fallacias de quibus hic agimus, pertineant proprie.

Tertia eſt fallacia ignorantiæ elenchi, id eſt, redargutionis ſeu contradictionis (redargutio enim hic idem eſt ac contradictio alicuius propoſitionis quæ per hoc dicitur redargui quod ipſi contradicitur) Definiri autem poteſt hæc fallacia, Locus ad decipiendum aptus ob apparentiam contradictionis ubi non eſt contradictio defectu alicuius conditionis ad eam requiſitæ. Vnde tot modis contingere poteſt hæc deceptio, quot ſunt conditiones neceſſariæ ad contradictionem quæ à ſophiſta omittuntur. Illæ autem ſunt quinque. Prima eſt quod ſit de eodem ſecundùm idem, defectu cujus hæ argumentationes fallunt, Æthiops eſt albus ſecundum dentes, & non eſt albus ſecundum corpus, ergo eſt albus & non eſt albus: Homo ut rationalis diſcurrit, ut animal non diſcurrit: ergo diſcurrit & non diſcurrit, Deus ut miſericors parcit, ut juſtus

ut justus non parcit, ergo parcit & non parcit *Secunda est, quod non solum secundum idem, sed eodem modo sumptum*: defectu cujus fallit hoc enthymema: Vestis aptata corpori tegit corpus, complicata in arca non tegit corpus, ergo tegit & nō tegit. Tertia, quod sit respectu ejusdem, defectu cujus fallit hoc: Quaternarius est duplus binario, & non est duplus ternario, ergo est duplus, & nō est duplus. Quarta, quod pro eodem tempore. Quinta, quod pro eodem loco: quarū exempla in promptu erunt, & omnia ex dictis facile est distinguere. Ab hac verò fallacia ignorationis elenchi inscripsit Aristoteles hos libros *De sophisticis elenchis*, id est de apparentibus redargutionibus, quia scilicet hæc est præcipua quam intendit sophista, videlicet redargutio.

Quarta est fallacia petitionis principii, quâ sophista arguens aut respondens decipit assumendo pro ratione ipsam thesim aut conclusionem de qua agitur: unde petitio principii idem est hic ac petitio seu assumptio ipsius conclusionis controversæ, quæ appellatur principium, quia ab initio proponitur ut omnis in eam probatio dirigatur.

Quinta est fallacia consequentis, quæ est quando videtur converti consequentia, & non convertitur, hoc est, cùm putamus, quòd, sicut consequens sequitur ex antecedente, ita vicissim ex consequente sequatur antecedens: sicut si arguam, Si est homo, est

animal, ergo si est animal est homo, itẽ, quod sicut ex opposito consequentis valet ad oppositum antecedentis, ita ex opposito antecedentis valeat ad oppositum consequentis ut si dicam, Si est homo est animal, ergo si non est homo non est animal, sicut valet, ergo si nõ est animal, non est homo. Distinctio est, hæc valere quando termini sunt convertibiles, ut rationale & risibile, secus si nõ sint convertibiles, ut homo & animal: quod est valere vi materiæ, & non vi formæ.

Sexta est fallacia non causa ut causa, quæ fit, quando aliquis effectus tribuitur alicui tanquã causa ipsius, cùm tamen re ipsa non sit ejus causa, ut si dicas studium & scientia nocent multis, ergo non est eis incumbendum: nam revera studium & scientia non sunt causa nocumenti sed malus ipsorum usus.

Septima dicitur fallacia plurium interrogationum ut unius, quia in ea plures interrogationes tanquam una proponuntur eo fine ut qui unam simplicem responsionem reddit, omnibus minimè satisfaciat, subindeque à sophista interrogante capiatur, ut si quærat sophista an luxuria & castitas sint bona, & tu respondeas esse bona, colliget ille malum (scilicet luxuriam) esse bonum, si dicas esse mala, infert bonum (nempe castitatem) esse malum. Ad hanc ergo deceptionem vitandam, advertendum est diversitatem interrogationum & singulis in particulari satisfaciendum, dicendo,

do, distinguo, luxuria est mala, castitas bona, & sic de aliis.

DISPUTATIO. IV.

De effectibus Syllogismi demonstrativi, probabilis, & sophistici.

EFFECTUS *Demonstrationis est scientia*, causat enim Demonstratio assensum certum & evidentem conclusionis, qui est scientia actualis, ex qua relinquitur in intellectu scientia habitualis, id est facilitas quædam ad promptè & delectabiliter assentiendum hujusmodi propositioni per principia per quæ eam semel demonstrativè cognovimus. *Unde scientia actualis definitur assensus certus & evidens per demonstrationem acquisitus, habitualis verò Habitus certus & evidens per, &c.*

Effectus autem Syllogismi probabilis est Opinio, quæ etiam duplex est, nempe actualis, quæ est assensus incertus formidolosus, & inevidens alicujus conclusionis per Syllogismum probabilem acquisitus, & habitualis, quæ definitur habitus incertus, formidolosus, &c. Qui habitus causatur in intellectu seu relinquitur ex frequentatis hujusmodi assensibus incertis & formidolosis.

Effectus denique Syllogismi Sophistici, est error, sive actualis sive habitualis, qui est assensus obscurus & falsus alicujus conclusionis per syllogismum sophisticum, seu per me-

dium fallax acquisitus; vel habitus ex hujusmodi assensu in intellectu relictus.

SECTIO UNICA.

Vtrum in eodem intellectu possint simul esse scientia, opinio, & error, de eodem objecto.

CERTUM est in eodem intellectu posse esse simul scientiam de uno objecto, puta de hac propositione, Deus est sapiens, aut, Deus est Omnipotens, opinionem de altero, puta quòd sit in spatiis imaginariis: & errorem de alio, ut quod non sit Trinus, aut quòd Christus non sit realiter in Eucharistia.

Certum est etiam in diversis intellectibus posse reperiri scientiam, opinionem, & errorem circa idem objectum, si unus illud attingat per medium demonstrativum, alius per medium duntaxat probabile, & tertius per medium fallax.

Difficultas ergo solùm est, utrum in eodem intellectu, & respectu ejusdem objecti, aut ejusdem propositionis possint simul esse scientia, opinio, error, sive quoad actus, sive quoad habitus. Pro resolutione.

Dico primò non posse actum scientiæ & actum opinionis de eadem propositione simul in eodem intellectu.

Probatur

Probatur. Non potest intellectus assentiri certò & evidenter alicui propositioni, & simul assentiri eidem incertò formidolosè, & inevidenter: sed per actum scientiæ assentitur certò, firmiter & evidenter, per actum vero opinionis incertè, formidolosè & inevidenter, ut ex dictis superiùs initio disputationis constat, ergo non potest habere simul actum scientiæ & actum opinionis de eadem propositione. *Major in qua sola potest esse difficultas probatur*. Assentiri certò & evidenter alicui propositioni est judicare eam aliter se habere non posse: assentiri verò incertè & inevidenter; est ita illi assentiri ut tamen judicemus eam aliter se habere posse, atqui repugnat judicare propositionem aliquam aliter se habere non posse seu esse necessariam, & simul & semel judicare illam aliter se habere posse, subindeque non esse necessariam, ergo.

Confirmatur: Intellectus per actum scientificum firmiter adhæret veritati propositionis, in qua firma adhæsione consistit certitudo, per actum verò opinativum non adhæret illi firmiter, sed cum formidine ne opposita sit vera, in qua formidolosa adhæsione sita est incertitudo: atqui repugnat adhærere firmiter & sine formidine, & simul non adhærere firmiter, ergo repugnat simul habere actum scientificum & opinativum circa eandem propositionem. Unde fundamentum hujus conclusionis, ut vides est contrarietas,

quæ reperitur inter actum scientificum & opinativum, inter hoc quòd est assentiri alicui propositioni certò, evidenter, & absque formidine & simul assentiri incertò, & formidolose, & obscure.

Respondebis hæc quidem repugnare respectu ejusdem medii, quòd videlicet intellectus per unũ & idem medium assentiatur certò & evidenter, incertè ac inevidenter, non autem respectu diversorum, quorum unum sit necessarium, alterum dumtaxat probabile, & sic est in proposito, assensus enim scientificus attingit propositionem per medium necessarium, opinativus autem per medium probabile

Sed contra: quia illa diversitas mediorum non tollit contrarietatem nec incompossibilitatem assensus scientifici & opinativi, respectu ejusdem propositionis: ergo responsio nulla. *Probatur antecedens à simili.* calor enim & frigus, etiamsi à diversis causis vel principiis proveniant, non tamen propter hoc desinunt esse contraria & incompossibilia: ergo similiter assensus certus & incertus, evidens aut obscurus, tametsi per diversa procedant principia vel media. Et ratio est quia contrarietas est quid absolutum, & non respectivum ad causas ipsorum contrariorum.

Confirmatur conclusio, & magis refutatur responsio adversariorum, quia repugnat esse simul duas formas quarum una importat privationem alterius in subjecto, quantumvis

ex diversis principiis procedant, sed assensus inevidens, incertus & formidolosus importat ex parte subjecti, id est intellectus, privatioñe assensus evidentis certi: & firmiter adhærentis, ergo non possunt esse simul, quantumvis ex diversis, &c. *Probatur minor exemplo jam adducto caloris & frigoris*, calor enim in gradu intenso importat, saltem naturaliter loquendo, privationem frigoris à quocumque tandem principio procedentis, eo quòd sit illi contrarius: atqui assensus inevidens alicuius conclusionis est contrarius assensui evidenti eiusdem: ergo

Dico secundò non posse simul dari in eodem intellectu habitum scientiæ & opinionis de eodem objecto aut propositione.

Probatur, quia habitus scientiæ determinat intellectum ad assentiendum certò & evidẽter conclusioni, habitus vero opinativus determinat ad assentiendum incerto, & obscurè, atqui nõ potest simul & semel intellectus esse determinatus ad assentiendum certò & evidenter, ad assentiendum incertè & inevidenter eidem propositioni, cùm hæ duæ determinationes sint contrariæ, ergo. Et ex his *Inferes 1. multò magis errorem circa propositionẽ aliquam esse incompossibilem cum scientia ejusdem: cùm error sit assensus, aut habitus, non solùm obscurus & incertus, sed etiam falsus.*

Inferes secundò fidem & scientiam naturalem, respectu ejusdem propositionis esse etiam in-

compossibiles: quia fides importat essentialiter inevidentiam & obscuritatem cum innitatur soli testimonio dicentis & non veritati clarè & evidenter cognitæ: scientia autē naturalis importat evidentiā & clarā rei cognitionem.

Dixi (*naturalis*) ut exciperem Theologiam. quæ est scientia supernaturalis potestq; esse simul cum fide Divina respectu eiusdem propositionis, putà istius, Christus est mortuus: quam Theologus novit nedum per fidem, sed etiam per hanc demonstrationem Theologicā, nemo potest resurgere nisi fuerit mortuus, Christus verè resurrexit, ergo verè fuit mortuus: potest, inquam esse simul cum fide, quia ipsa etiam pro hoc statu non habet evidentiam actualem. sicut naturalis scientia, sed tantum aptitudinalem, id est petit illam habere quando in patria conjungetur cum visione seu scientia beata.

Obiicies primo: opinio comparatur ad scientiam sicut lumen minus ad lumen majus: atqui lumen majus non destruit lumen minus, ut constat in lumine candelæ quod recipitur in eadem parte aeris cum luce solis ergo nec scientia destruit opinionem, subindeque poterunt esse simul.

Respondeo distinguendo antecedens: Sicut lumen minus præcise, nego: sicut lumen minus obumbratum tenebris & eas intrinsecè includens, concedo. Potest itaque lumen candelæ esse cum lumine solis, quia licet sit minus,

non

non tamen includit aliquas tenebras: opinio vero includit intrinsecè formidinem partis oppositæ & inevidentiam, quæ comparatur ad scientiæ certitudinem & evidentiam, sicut ad lucem tenebræ, unde repugnat quod sint simul.

Objicies secundò, Potest aliquis habens habitũ scientiæ respectu alicujus conclusionis cognoscere eandem per medium probabile, maximè si tunc non recordetur medii necessarii & scientifici, atqui cognitio illa habita per medium probabile erit opinio, ergo scientia & opinio poterunt esse simul.

Respondeo negando min: Quamvis enim assensus ille habeatur per mediũ probabile, nõ tamẽ est opinativus in illo casu, ex quo enim ille scit habitualiter cõclusionem esse necessariã, non potest judicare eam aliter se habere posse, quod requiritur ad assensum opinativũ. Intellectus ergo adjutus habitu scientiæ elicit per tale medium probabile cognitionẽ aliquam perfectiorem opinativâ, quæ licet non pertingat ad perfectionem cognitionis scientificæ, quia non procedit per mediũ necessarium, sed probabile, ex conjunctione tamen cum scientia participiat ab illa claritatẽ & evidentiam excludentem tenebras formidinis, sine qua non potest esse opinio.

Obiicies tertiò: Non est magis incompossibilis opinio cum scientia, quæ est certa & evidens, quàm sit fides, cùm utra-

que includat inevidentiam, atqui fides potest simul esse cum scientia respectu ejusdem propositionis, ergo & opinio. Probatur minor, hæc enim propositio, Deus est, creditur fide Divina à Catholico seu fideli, & scitur scientia naturali ab eodem, si sit simul Philosophus, cognoscit enim eam clarè & evidenter per Demonstrationem à posteriori & per effectus, ergo fides & scientia possunt se compati respectu ejusdem.

Respondeo negando minorem. Ad probationem respondeo quod quando Catholicus incipit nosse clarè & evidenter per demonstrationē, Deum esse, habitus fidei in intellectu eius residens desinit se extendere ad illam propositionem, quæ non est per se de fide, sicut nec istæ Deus est unus, est immensus, æternus, & similes quæ naturaliter per demonstrationē cognosci possunt, sed tantum per accidens respectu eorum qui non habent scientiam & demonstrationem de illis.

Instabis· Fidelis dum adipiscitur scientiam naturalem respectu illius propositionis, non fit deterioris conditionis quam esset antea: fieret autem ex nostra solutione: tùm quia juxta illam dicendum videtur ipsum amittere fidem, cum ampliùs non credat illi propositioni; tùm quia major est certitudo fidei quam cuiuslibet scientiæ naturalis, innititur enim Dei testimonio magis infallibili quam sit medium demonstrationis: ergo cum an-

tea

tea haberet certitudinem fidei respectu prædictæ propositionis, nunc autem certitudinem scientiæ naturalis dumtaxat, factus est deterioris conditionis.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem dico illum non amittere fidem, quia nō discredit, sed tantùm habitum fidei in intellectu eius residentem non se extendere amplius ad illā propositionem. Ad secundam probationem respondeo, quòd quamvis intellectus ille non eliciat actum fidei respectu præfatæ propositionis, non tamen caret certitudine fidei respectu illius, quia fides quoad certitudinem, in qua non opponitur cum scientia, juvat eam; unde assensus scientificus illius propositionis certior est ex conjunctione cum fide in eodē intellectu, quam esset sine illa, quatenus scilicet Philosophus ille in præparatione animi est ad assentiendum ei formaliter per fidem in casu quo scientia ipsi deficeret.

Obiicies ultimo & urgebis præcedens argumentum, Habitus fidei potest esse simul cum visione beata quæ est multò evidentior scientia naturali, ergò multo magis poterit esse fides, subindeq; opinio cum scientia. *Probatur antecedens*, quia divus Paulus dum in raptu vidit essentiam Divinā & personarum Trinitatem, non amisit habitum fidei respectu illius, ergo habuit simul fidem cum visione.

Respondent aliqui habitum fidei posse esse, & de facto fuisse in Divo Paulo cum visione beata per

per modum transeuntis, non tamen posse esse cum eadem per modum permanentis. Iuxta quam solutionem, quæ non est improbabilis, dicendum consequenter videretur scientiam etiam habitualem posse esse cum actu opinionis & fidei, & è converso habitum fidei aut opinionis cum actu scientiæ: quia actus est aliquid transiens. Verum quia hujusmodi actus opponuntur etiam habitibus quoad evidentiam aut inevidentiam, certitudinem vel incertitudinem, ideo universaliter sustinendo actum cum actu, habitum cum habitu, & actum cum habitu in proposito esse incompossibiles.

Respondeo 2. habitum fidei non posse esse simul cum visione beata respectu eiusdem: & ad probationem concedo Divum Paulum retinuisse tunc habitum fidei, qui tamen non se extendebat ad mysteria illa quæ videbat, sed alia quæ non videbat. Nec mirum si omnia quæ ad fidem pertinent non viderit tunc in essentia Divina, cum eius visio fuerit ipsi communicata solùm per modum transeuntis, non verò per modum permanentis: Sed de his in Theologia; nostræ vero Logicæ hîc finis esto ad majorem illius gloriam, quem permanenter videre finis & beatitudo nostra est, ad quam ipsemet nos perducat qui est super omnia Deus benedictus in sæcula



FINIS LOGICÆ

FINE

